6
39-C
7

6
5 L
23

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

82.2.87

74
E
44

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



LVGD BATAV. Apud BALDVINVM VANDER Aa. MDCXCV

Digitized by Google



LVGD BATAV. Apud BALDVINVM VANDER Aa. MDCXCV

Digitized by Google

BIBLIOTECA ... V.E.
ROMA

Digitized by Google

CONSTANTII LANDI

COMPLANI COMITIS,

SELECTIORUM NUMISMATUM,

PRAECIPUE ROMANORUM,

EXPOSITIONES,

elegantibus nummorum ectypis, &
indicibus neceſſariis inſtructæ.

ROMA



LUGDUNI BATAVORUM

Procudit BALDUINUS VANDER AA.

MDC XCV.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLARISSIMO & ERVDITISSIMO

VIRO

D. PETRO DEINOTIO,

J. V. D.

STVDIORVM HVMANITATIS, ET EXQVISITAE CVJVSVIS ELEGANTIAE

CVLTORI AMANTISSIMO

FÆLICITATEM.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Dum hoc quicquid eſt libelli, primas rei librariæ curas noſtras, in Muſarum tuarum ſacrario, tibi, Vir præſtantiſſime, ſacrum ſuſpendere cogito, haud temerè illud Peligni vatis mihi ipſe ſubinde objicio,

Quis mel Ariſtæo, quis Baccho vina Falerna,
Triptolemo fruges, poma det Alcinoo?

Sed nec propterea, quod abundantiſſimam eorum omnium quæ ad antiquitatis ſtudia conferunt, tibi ſuppetere penum ſatis ſciam, minus perſuaſum habeo hoc opuſculum, eâ facie qua vides recuſum, ſacrum tibi facere. Etenim vel in hoc ipſo non contemnenda ſemper priſci ritus exempla, & ab agricolis quidem petita, ſectari me nequaquam pudet: quorum eam religionem noviſti, ut frugum primitias agreſtibus ſuis Diis, quorum beneficio fœcunditatem agrorum referebant acceptam, grato liba-

Digitized by Google

rent animo. Hoc, inquam, ego commonefactus exemplo, non alii quàm tibi has novè impreſſas chartas debere me cenſui. Non hîc ſingula repetam beneficia & merita, quibus tum me, tum vel maximè fratrem meum, mihi cariſſimum, toties proſecutus es: præſertim dum ex tua quam inſtructiſſimam & omnium eruditorum oculos ad ſe trahentem poſſides, venerandæ antiquitatis ſupellectile inſignem gemmarum lapidumque, omni auro pretioſiorum, ſuppeditaveris numerum: tuique omnino muneris feceris, illam Clariſſimi Antverpiani Dactyliothecam rariſſimorum ectyporum acceſſionibus immenſum creviſſe. Non, inquam, pro his vel talibus plurimis aliquas hic gratias, quæ tibi debentur ingentes, perſolvere animus eſt; quum locus opportunior, his publicè teſtandis grateque agnoſcendis, longe doctiori calamo, datus ſit. Potius eorum quæ me ſpeciatim tangunt, quibuſque tibi totus devinctus ſum, meminerim. Talem ſcilicet, Vir præſtantiſſime, te ſemper expertus ſum, ut qui propenſiſſimè rei meæ & commodo velles inſervire. Nam cum pro humaniſſima tua facilitate (qua tot alios majoris nominis viros quotidie demerere non deſinis) ſæpe in ipſa Muſarum tuarum penetralia, bibliothecam tuam innuo, illud Græcæ Latinæque ſapientiæ, omniſque liberalis doctrinæ κειμηλιάρχιον, me admitteres, auctor mihi nunquam non exſtitiſti vel optimorum ſcriptorum edita rectè cognoſcendi, vel iis emendatius & nitidius quandoque recudendis, aliquam gratiam apud eruditum orbem ineundi. Quibus ſtimulis candido animo non ſemel à te mihi ſubditis, has *illuſtriſſimi Placentini Comitis ſuper ſelectis Numiſmatibus diſſertationes*, elegantioribus typis expreſſas, & ab optimis petitis Antiquariis nummis illuminatas, publicare, & quò gratitudinis meæ erga te qualecunque exſtaret argumentum, tibi conſecrare placuit.

Ec-

EPISTOLA DEDICATORIA.

Ecquis hic ſcriptor, & unde domo ſit, quàmve illuſtri loco natus, ſatis declarat ipſe, dum ſe paſſim *Complanum Comitem* indigetat: nec dedidiſſe ſeſe ſoli antiquitatis ſtudio, ſed præterquam Philoſophiæ, Juriſprudentiæ quoque navatam ab ſe operam, aliquoties manifeſtat, ut pag. 30. ubi ſe ipſe citat in ſuis, quas jam ediderat, *Juris Civilis exercitationibus*. Quanti verò hæ miſcellorum numiſmatum expoſitiones faciendæ ſint, meum dijudicare non eſt: ſatis fuerit ad Auctoris hujus laudem, eum vixiſſe & fuiſſe unum inter lucida illa Italiæ ſidera, quibus orientibus ſpiſſæ barbariei tenebræ cœperunt diſcuti. Quid, quod non ultimus Antiquariorum, Levinus Hulſius album calculum huic ſcripto addat? Is nempe in Elencho Auctorum qui de numiſmatibus ſcripſerunt, hæc de noſtro: *Conſtant. Landus, Illuſtriſſ. Comes, Italus, aliquot Impp. Romanorum numiſmata eruditiſſimè explicuit*, &c. Non ubique tamen, fateor, exactiſſimas nummorum vel relationes, vel interpretationes curioſus lector offendet: at hoc non tam vitio ſcriptori noſtro, quàm exeſis nimia vetuſtate aut incuria numiſmatibus æquus quilibet vertet. Tanto autem facilius condonabit is, qui ad tempus illud, quo Auctor hic ſcripſit, reſpexerit: exilem enim tum erutorum iſtiuſmodi monumentorum, præ uberrimâ talium ſegete, qua hodie luxuriari licet, deprehendimus fuiſſe penuriam. Quare non omnem mihi pacem denegaverit Reverend. Abbas Nicaſius, in diſſertatione de nummo Pantheo cap. 5. ſi eum duriori minus vocabulo uti potius debuiſſe exiſtimem in damnanda Conſtantii Landi mei relatione nummi, Hadriani Antinoum in una, tripodem cum lauru in altera parte referentis. Quis enim magis ingenuè, & minus inſolenter de ſe ſuiſque ſcriptis profiteatur, ac facit noſter ille Comes? qui cum pag. 99. *ſic conciſa & propemodum deleta* nummi *verba*

erat

Digitized by Google

erat queſtus, *ut vix legi poſſent*, tandem pag. 101. ſuam ſuper eo nummo diſſertationem his verbis claudit: *Boni igitur conſulat lector hunc laborem noſtrum, quem nunc ſuſcepimus, in exponendo hoc numiſmate, præter inſtitutum noſtrum: quod ſi quis ex antiquariis doctius enarraverit ac interpretatus fuerit rectius hoc numiſma, ei & ego habebo maximam gratiam, quòd aliquid ab eo didicerim: & quod illuſtriora reddita fuerint, quæ ab aliis non ſat rectè intellecta, nondum ſuam claram lucem receperunt.* Eundem animi, ab omni arrogantia alieni, candorem ſæpe alibi præ ſe fert, dum veniam ab lectoribus petit, ſi ſecus quid, vel non ſatis eruditè perſcripſerit. Similem ego quoque abs te, Præclariſſime DEINOTI, veniam peto, ſi vel diu nimis his immoratus ſim, vel quovis alio modo hîc peccârim. Prima quæ in uſum Reip. literariæ tentavimus, ſacra tibi facta, placido ſuſcipias animo, ita ſubditurus mihi calcar, ad majora in eruditorum commodum profliganda. Porro ſicut me totum favori & benevolentiæ tuæ, ita te tutelæ ſempiterni Dei commendo, qui pro bono ſuo placito diu & proſperrimè te terris frui ſinat. Quod vovebat

Nomini & meritis tuis

Devinctiſſimus

BALDVINVS VANDER AA.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO ORNATISSIMOQVE

VIRO

BERNARDO BORGONTIO

VRBIS PLACENTINAE PRAEFECTO

INTEGERRIMO, GVBERNATORIQVE AEQVISSIMO

CONSTANTIVS LANDVS, COMES

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

S. D. P.

INTERPRETATIONES meas in quædam Romanæ antiquitatis Numiſmata tibi (optime Bergunti) in præſentia donare conſtitui: tum quia video te Romanarum antiquitatum ſtudioſiſſimum eſſe, quod etiam Muſæum tuum undique exquiſitis veterum imaginibus clarorum virorum, ac æneis formis inſignitum ac ornatum indicat: licet idem Muſæum multiplici non ſolùm juris civilis, ſed etiam politioris literaturæ librorum ſupellectile habeas extructum. Nam quos tu libros, qui & ad divinam & humanam juſtitiam faciant, non conquiſiſti? Quid narrem humaniores libros, qui ad Græcam, Latinamque cognitionem faciant? cùm innumerabiles ſint: in quibus (dum à gravioribus ſtudiis paululum ſecedis, & ab auditorio deſiſtis) jucundè ac peramanter conquieſcis: ut illi etiam iidem libri te ad condendos aliquando amœniores, & eruditos verſiculos, ac elegantes oratiunculas perſcribendas excitent, & eliciant. Quæ omnia (tanta eſt tua erga me humanitas & benevolentia) ut aliquando mihi oſtendere familiariter dignatus ſis. Tum illud movit animum meum, ac planè impulit, ut tibi potius, quàm alii hæc mea ſcripta inſcriberem, quòd innumerabilia apud te perantiqua numiſmata ſæpius vidi: ærea nempè, argentea, & aurea, quæ tu ſic bellè & politè aſſervas, ut præter ſenſum, quod in illis apertum, & certum elicis, te non minus præſtantiſſimum juſtitiæ

Digitized by Google

Antiſtitem , ac ſacerdotem , quàm gravem , ſeverumque humanarum rerum cognitione , & doctrina varia inſtructum judicem , omnibus cognitum exhibeas. Quod ſentiens illuſtriſſimus ac excellentiſſimus Dux Ferrarienſium , Hercules Eſtenſis II. princeps verò IIII. te in ſummum Conſiliarium ſibi adlegit , ac Ferrarienſis civitatis moderatorem præfectumque conſtituit. Id ſenſit & Dux primus illuſtriſſimus Petrus Aloyſius Farneſius Placentiæ & Parmæ , cùm patriæ meæ te in prætorem elegit. Idem Dux noſter optimus Octavius nuper conprobavit , cùm illi reddita à Carolo Quinto Cæſare Auguſto Placentia , tibi uni præfecturam urbis , ac prætorii ſubſellium , ac viro ſingulari & integerrimo demandavit : nullum ad moderandos urbis mores , ac ad juſtitiæ obeunda negotia , ac expedienda idoneum te magis animo reputans : quod etiam judicium tanti principis ſummoperè laudandum , & extollendum ab omnibus bonis exiſtimo , cùm videamus te nunquàm deſiſtere indies , quin quæ ad juſtitiæ munus pertineant , per te exequantur. Quàm mitis es in audiendo? quàm humanus in colligendo amicos ? quàm expeditior ad imponendum litibus longis finem ? quàm in omnibus prudens & bonus ? Quod ſi talem virum tuliſſent priſca ſecula , Romana reſpublica fortunatior te uno fuiſſet. Quid candorem animi tui , quid peritiam antiquitatis , qua valdè eruditus es , prædicem? Hæc non epiſtolam , ſed integrum , juſtumque opus exquirunt. Hæc igitur omittam in præſentia , cùm ſatius ſit hæc (ut ait Salluſtius de Carthagine) ſilere , quàm pauca dicere. Porrò ſunt & alia , quæ præcipuè in cauſa ſunt , ut tibi hunc meum libellum Numiſmatum deſtinare debeam. Nempè amor tuus , ac humanitas illa tua erga me inenarrabilis , qua adeò in me ſoles uti , ut mihi potius parentis eſſe loco videaris , quàm patroni. Non hîc tibi , amantiſſime Berguntî , eas gratias , quas referre debeo , ſed quas poſſum , refero de benignitate ac facilitate in me tua , & non protrita benevolentia. Illud tamen accedet amori noſtro , quòd hæc qualiacunque mea ſcripta in tuum decus , & mutuam benevolentiam , & ſimul comprobatam exibunt. Sed hîc non , ut ab aliis ſeriem Cæſarum , & quaſi per cohortes , ſed miſcellanea Numiſmatum ; prout illa per intervalla temporum mihi videre contigit , enarrata habebis , nec illa imaginibus ſuis oſtentata

tata

Digitized by Google

tata à me nunc expectabis: quod ſcio à pleriſque factitatum. Non enim id nos efficere valuimus, licet omni cura ſtuduerimus: tum inopia anguſtiaque temporis: tum periti artificis delineatoriſque carentia: tum avaritia librariorum, & quorumdam nimia quadam ſcrupuloſitate, quorum erant nummi, ſunt enim quidam plebei homines ſic pecuniæ antiquæ, monetæque Romanæ domi retinentiſſimi, & adeo ſuperſtitioſi, ut eam vix permittant lucem, inſtar Euclionis Plautini, aſpicere: ſunt alii in hoc animo obdurati, qui etiam ſi ipſi antiquitatem ignorent, aliis quod explicent, nolint concedere: parum amicis fidentes, homines mehercule impuri & indigni, & qui mereantur, ut ipſis tam præclara veterum ſimulacbra, tanquam nobilis rerum vetuſtarum memoria, & ſupellex antiqua literataque auferantur, & melioribus donentur: cùm ſolùm hæc ad pompam & oſtentationem quandam, non ad utilitatem illi habeant. Quod ſi nobiles ſint, ac illuſtri generoſoque animo præditi non committant, quin eorum opera, & exhibita amicis hujuſmodi moneta, omnia antiquitatis monumenta brevi non enucleentur, & ut tandem ad lucem perveniant. Ecquidnam eſt aliud Romanarum antiquitatum ſtudioſiſſimos homines hoc theſauro fraudare, quàm ſitientes à vivo flumine, ac liquido fonte, ne ſitim ſedent, deturbare ac depellere? Quidque hoc aliud eſt, quàm celare gemmas in lutoque habere involutas? & quid aliud tandem eſt, quàm ipſius priſcæ virtutis honores, ac majeſtatem Romani Imperii in perpetuam oblivionem, Lethæaque flumina demergere? Quis hos igitur appellet antiquitatis amatores? qui tantùm oculos, & illos illiteratos paſcunt, non animum, non pectus erudiunt: qui tantùm admirantur, quod neſciunt: veluti illi ſervi, qui nimis apud veteres ſtudioſè tabulas pictas, aut vaſa Corinthia, aut quid ſimile arte elaboratum intuentur. Jam per Deum immortalem concedant aliis benignè, quod ipſi ignari uſu nequeunt fungi, nec ingenio percipere, aut intellectu attingere. Hoc in præſentia volui dixiſſe, non quod expoſtulem eos, qui hiſce antiquis rebus abundant, ut illa aliis donent, ſed ut ſaltem literatis hæc commoda præſtent, & à doctioribus velint ſibi explicari, quæ ipſi non intelligunt. Ne res hujuſmodi cognitione dignæ apud ſe depereant, quæ ſibi aliiſque emolumento eſſe poſſunt. Tu autem interea illuſtris

Digitized by Google

ac humaniſſime Bergunti, hos meos labores qualeſcunque ſuſcipere & amplecti non dedignaberis, lætoque vultu hæc à me enarrata numiſmata, ut jam feciſti, cùm illa judicio tuo his elapſis menſibus ſuppoſui, quæ etiam tuo judicio tum comprobata nomine tuo exire volui, ut ſi quid habebunt cenſores, quod in his me reprehendant, ſciant me ſub tuis auſpiciis hoc opus primùm edidiſſe: ideo me ſub tuo clypeo protectum, illorum tela non valde formidaturum. Vale, vir omnium virtutum ſingulare domicilium, & Parmæ decus ac ſplendor incomparabilis, & Conſtantium Landum toto ejus vitæ tempore præſtanti tuæ virtuti ac probitati addictiſſimum (ut facis) ama. Ticini 7. Cal. Junii M.D.LIX.

SCRI-

Digitized by Google

SCRIPTORVM

Quorum vel citatio, vel illuſtratio facta eſt,

CATALOGVS.

A.

Ablavius.
Accurſius.
Acoltus (Benedictus)
Ælianus.
Agathyllus.
Agricola (Georgius)
Alciatus.
Alexander ab Alexandro.
Alexander Aphrodiſienſis.
Ammianus Marcellinus.
Ammonius.
Amytianus.
Anacreon.
Antiochius Syracuſanus.
Aphthonius.
Appianus Alexandrinus.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Artemidorus.
Aſconius Pedianus.
Athenaus.
Auguſtinus.
Auſonius.

B.

Bayſius (Lazarus)
Bembus (Petrus)
Beroſus.
Budeus.

C.

Calcagninus.
Calias.
Capitolinus (Julius).
Caſſiodorus.
Caſſius (Dion)
Cato.
Celſus.
Cicero.
Claudianus.
Cleopatra de menſuris.
Coſtalius (Petrus)
Crinitus (Petrus)
Critolaus.

D.

Demagoras.
Diaconus.
Digeſtorum libri.
Dionyſius Halicarnaſſenſis.
Dionyſius Chalcidenſis.
Dioſcorides.
Dracon Corcyrenſis.

E.

Epigrammata vetera Græca.
Eraſmus.
Eutropius.

F.

Fannius.
Fredericus (Scotus)
Feſtus.
Ficinus.
Firmicus.
Flaccus (Valerius)
Flaminius (M. Antonius)
Fulgentius.

G.

Galenus.
Gellius.
Gyraldus (Lil. Gregorius.)

H.

Herodianus.
Heſiodus.
Hieronymus.
Homerus.
Horatius.

I.

Ioſephus.
Ioſippus.
Irenicus (Franciſcus)
Iunius Cordus.
Iuſtinianus.

Juvenalis.

L.

Labadinus (Benedictus)
Lactantius.
Leonicus Thomæus.
Livius.
Lucanus.
Lucianus.
Lycophron.

M.

Macrobius.
Majorianus.
Marlianus.
Marullus Tarchoniata.
Merula (Georgius)
Molſa (Marius)
Mutius Hiſtrienſis.

N.

Niphus Sueſſanus.

O.

Orus Apollo.
Ottho Phriſingenſis.
Ovidius.

P.

Patritius (Franciſcus)
Pauſanias.
Perſius.
Petrarcha.
Philander (Gulielmus)
Phornutus.
Picus (Johannes Mirand)
Pierius Valerianus.
Pindarus.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Politianus.
Pollux.
Poſſevinus.
Probus (Valerius.)
Ptolemæus (Claudius.)

Q.

Quintilianus.

R.

Reuchlinus.
Rhodiginus.
Rondeletius (Gulielmus)

S.

Sabellicus.
Salluſtius.
Sannazarius.
Seneca.
Servius Grammaticus.
Solinus.
Sophocles.
Sophron.
Spartianus.
Strabo.
Suetonius.

T.

Tacitus.
L. Taruntius.
Thyleſius (Antonius)
Tibullus.
Trebellius Pollio.

V.

Valerius Maximus.
Varro.
Vegetius.
P. Victor.
Vicus (Æneas)
Vida.
Virgilius.
Vitruvius.
Voluſius Metianus.
Urſus Vellius.
Vulcatius Terentianus.

X.

Xenagoras.
Xenophon.

Z.

Zenodotus.

NV.

Digitized by Google

NVMISMATVM EXPLICITORVM

S Y L L A B V S.

Janus Bifrons.	1	*Pileus cum duobus pugionibus.*	57
Æneæ parentem geſtantis Pietas.	7	*Libertas Publica in nummo Nervæ.*	57
Pietas in Ælii Cæſaris nummo.	10	Caligulæ, Neronis, & Galbæ Adlocutiones cohortium.	58
—— *in nummo Lucillæ.*	10	Vitellii Honos & Virtus.	61
—— —— *Antonini Pii.*	11	Vitellii Fides exercituum.	65
Antiochus Soter.	14	*Duæ junctæ dextræ cum caduceo.*	67
Salus in nummo efficta.	15	Vitellii Concordia.	68
Ἡρακλῆς σωτήρ.	16	*Concordia in nummo Galbæ.*	68
Lyſimachi facies cornigera.	22	*Concordia Provinciarum.*	58
C. Julii Cæſaris Conſecratio.	24	*Cornix concordiæ typus.*	68
Simpuvium cum lituo in nummo Julii Cæſaris.	28	Neronis portus Oſtienſis.	69
Scribonis Liboniani puteal.	33	Claudii Neronis Genius.	75
Capricornu Auguſti.	37	Neronis & Domitiani Jupiter Cuſtos,	78
Germanicus Cæſar.	39	*Aquila ſub pedibus habens fulmen.*	78
Pauli Lepidi Concordia.	44	Neronis & Veſpaſiani Congiaria.	79
C. Plotius Triumvir.	48	*Congii forma.*	83
C. Coſſutius Maridianus A. A. A. F. F.	49	Veſpaſiani Pax.	85
M. SALVIVS OTHO IIIvir A. A. A. F. F. S. C.	49	*Pax in nummo Domitiani.*	85
M. Macilius Tullus IIIvir A. A. A. F. F. S. C.	49	—— *Neronis.*	86
M. Scaurus Ædilis Curulis.	50	—— *Galbæ.*	86
M. Piſo Frugi.	53	—— *Vitellii.*	86
Curvata luna ſtellam complectens in nummo Auguſti.	54	—— *Titi.*	87
Titus Tatius Sabinorum rex.	55	Nervæ Vehiculatio Italiæ remiſſa.	88
Claudii Libertas.	56	C. Vibii, & Cn. Panſæ Jupiter Axur.	89
		Trajani Victoria Germanica & Dacica,	92

Ha-

Digitized by Google

SYLLABVS NVMISMATVM.

Hadriani Antinous. 98
Antonini Pii Conſecratio. 103
Aquila ſuper orbem, &c. Conſecrationis typus. 105
Conſecratio per pavonem quæ caudam explicat. 105
Claudii Neronis Cæſ. Aug. Germanici Imperatoris decurſio. 108
Caſtor & Pollux. 111
Caſtores in nummo M. Fontei. 121
Hadriani ſpes. 121
Spes publica Alexandri Pii. 122
Titi Veſpaſiani Annona. 125
Gordiani Virtus. 126
Virtus in nummo Galbæ. 126
Antonini Pii Conſecratio. 127
C. Poſtumi Diana. 128
C. Poſtumii nummus. 129
Gn. Planci Ædilis Curulis nummus. 135
Commodi Venatio. 135
Gordianorum Virtus & Æquitas. 137
Æquitas publica. 141
Æquitas privata. 141
Gordiani Securitas. 143
Securitas in nummo Othonis. 143
Securitas in nummo Titi. 143
Juliæ Mammeæ Aug. Felicitas publica. 147
M. Valerii Acilii Triumviri Virtus. 148
Lucii Aurelii Commodi Roma. 149
Naturæ imago. 150
Juſtiniani Cæſ. Aug. Pax. 151
Macrini Cæſ. Aug. Annona. 154
Trajani Nervæ Fortitudo. 155
Poblicii ſigillum Fortitudinis. ibid.
Marmoris cujuſdam antiqui inſcriptio. 156

CONST.

Digitized by Google



Digitized by Google

CONSTANTII LANDI
COMPLANI COMITIS,
SELECTIORVM NVMISMATVM
PRAECIPVE
ROMANORVM
EXPOSITIONES.

ROMA

JANI BIFRONTIS NVMISMA.

FVIT apud me, jam ſunt aliquot anni, nummus argenteus perantiquus, quem poſtea Alciato magno cum nonnullis aliis propè centum antiquiſſimis in ſacculo fune argenteo adligato dono dedi, ubi ex altera parte fuit imago Jani Bifrontis cum hac inſcriptione, JANVS BIFRONS. in altera verò fuit prora navis: interpretabamur Alciatus & ego tunc ideo ſic effictum fuiſſe numiſma illud, quia Priſcos Latinos, olim efferum genus, cùm paſtoritiam vitam agerent, è fera agreſtique vita, & legibus & omnium rerum affluentia, quæ illuc terra, marique importabantur, à Jano, qui cultioris vitæ modum invenit, excultos denotaret: vel quòd Janus in Italiam navigans à Saturno fuerit hoſpitio ſuſceptus, quod & Plutarchus in problemate xxi. & xl. declarat, cùm hujus nummi veteris ſigna exponit: & Herodianus lib. I. meminit, & Athenæus lib. xv. *Dipnoſophiſtôn* cap. xix. & Leonicus Thomæus in lib. I. *de varia hiſtoria*, cap. lxxi. P. tamen Virgilius in viij. *Æneidos* aliter ſenſit: nempe Saturnum primum Latinis dediſſe leges, ac indocile genus compoſuiſſe. Sed hîc præſtat Virgilianos verſus ſubſcribere, ut rem omnem certius perſpiciamus. Hunc itaque in modum canit Poëta,

Digitized by Google

Tum Rex Euandrus Romanæ conditor arcis,
Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæque tenebant,
Genſque virûm truncis, & duro robore nata,
Queis neque mos, neque cultus erat, nec jungere tauros,
Aut componere opes nôrant, aut parcere parto:
Sed rami, atque aſper victu venatus alebat.
Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile ac diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris,
Aureaque (ut perhibent) illo ſub rege fuêre
Secula: ſic placida populos in pace regebat,
Deterior donec paulatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi, &c.

Sed ne quod de Jano diximus Alciatus & ego, videatur omnino non verum, Gloſſularius quidam eo loco, ubi citavimus Virgilii carmina, ſcripſit in margine poſuitque hæc verba, *Mirum cur Janum præterierit, qui tamen ante Saturnum regnavit, & primus Italiam formavit legibus, & bonis inſtitutis.* Hactenus Gloſſularius. Sed idem Virgilius paulò pòſt dicit Janum Romam còndidiſſe, & Saturnum his carminibus,

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

De Jano etiam meminit Virgilius in vij. cùm Rex Latinus Oratores Æneæ intra tecta vocari juſſit, ubi erant veterum avorum imagines. Sic enim inquit,

Quinetiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua ex cedro, Italuſque paterque Sabinus,
Vitiſator curvam ſervans ſub imagine falcem,
Saturnuſque ſenex, Janique bifrontis imago,
Veſtibulo adſtabant, aliique ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera paſſi.
Multaque præterea ſacris in poſtibus arma.

Idem Virgil. in xij.

— Mare, Sydera juro

Lato-

Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem.

Meminit etiam idem in vij. ubi claudendis portis & patefaciendis eundem præponit,

Sunt geminæ belli portæ (ſic nomine dicunt)
Relligione ſacræ, & ſævi formidine Martis.
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora, nec cuſtos abſiſtit limine Janus.

Horatius ij. Epiſtol.

Clauſtraque cuſtodem pacis cohibentia Janum.

Et Perſius in 1. Satyra,

O Jane à tergo, quem nulla ciconia pinſit.

Jani autem templum fuiſſe in medio foro ex adverſo Capitolii, tradit Procopius: *Erat*, inquit, *ſacellum totum ex ære conſtitutum quadrata quadam dimenſione, tantæque amplitudinis, quanta integra Jani ſtatua poterat ænea quinque pedalis capi: capite duntaxat bifrons, portæ utriuſque æneæ, quæ pacis tempore claudebantur, inſtante autem bello aperiebantur, vocabatúrque Janus geminus, fuit autem prope equum Domitiani*. Plinius lib. *natural. hiſtor.* xxxiiij. cap. vij. ait, *Janus Geminus à Numa rege dicatus, qui pacis, bellíque argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum quinquaginta quinque dierum nota, per ſignificationem anni temporis, & ævi ſe Deum indicaret.* Herodianus dicto lib. primo, imaginem Jani bifrontem ideo ſic effictam refert, quia ab eo incipit & in eundem deſinit annus. Nunc afferre diverſas in Bifrontis Jani imaginem ſententias operæ pretium eſt, ut quæ potior fuerit arripi poſſit. Servius grammaticus in xij. *Æneid.* ait, Romulum & Titum Tatium cùm in fœdera convenirent, ſimulachrum duplicis frontis effeciſſe, quaſi ad duorum populorum imaginem. Dictus eſt etiam geminus Janus, quòd præterita & futura reſpicere exiſtimaretur. Ovidius in *Faſtis* meminit. Aſt Alciatum audiamus, qui ita ſcribit in Emblematis, problemate

PRVDENTES.

Jane bifrons, qui jam tranſacta futuraque calles,
Quique retro ſannas ſicut & antè vides.
Tot te cur oculis, tot fingunt vultibus? an quòd
Circumſpectum hominem forma fuiſſe docet.

Plutarchus autem in problemate, ſuprà nominato, ſcribit, eum fuiſſe Græcum Perrhæbum & in Italiam veniſſe, & linguam cum victu commutaſſe, Italóſque agreſtes civiles mores docuiſſe. Sed jam nunc Platonicorum ſententiam afferamus, ut altius introſpiciatur, plerunque eſſe divina, quæ ad homines transferuntur à Poëtis. Joannes igitur Picus ille Mirandulanus, vir divinus, in commentario cantionis Hieronymi Benivenii, ità de Jano Myſtico profatur in lib. ij. materno quidem ſermone, ſed in hunc ſenſum à nobis Latinè reddito: *Sciendum animas cœleſtes talem in ſe perfectionem habere (ut ajunt Platonici) ut ſimul ſatisfacere poſſint utrique muneri, nempe proprium corpus regere ac adminiſtrare, nec ob hoc ab intellectuali contemplatione rerum ſuperiorum recedere. Hæque animæ à multis poëtis per Janum bifrontem ſignificatæ fuerunt. Quoniam oculatæ, veluti illæ in anteriori & poſteriori parte, poſſunt & ſimul cernere intelligibilia, & ſenſibilibus providere. Verùm cæteræ animæ imperfectiores remanent, quæ oculos non habent, niſi in una earundem parte. Quòd ſi ſe vertant cum illa eadem parte, in qua oculatum corpus habent, neceſſe eſt, quòd altera, quæ ſine oculis extat, ſe vertat ad intellectum, & ità illæ privantur rerum intellectualium viſione: Similiter ſi ipſæ vertant oculos ad intellectum, amplius nequeunt corpori neceſſaria providere, coguntúrque ejus curam relinquere. Hiſque rationibus fit, ut illas animas, quæ propter curam corporis coguntur bona intellectus dimittere, divina providentia eaſdem caducis corruptibilibúſque corporibus conjunxerit & alligaverit, ut ab his ſolutæ poſſint brevi tempore (ſi per eas non ſtet) ad intellectualem propriam felicitatem reverti, & cæteras animas, quæ corporis pondere non impediuntur ab intellectuali bono, ipſa eadem providentia æternis & incorruptibilibus corporibus adnexuit, ac copulavit. Cœleſtes igitur animæ, quæ à poëtis per Janum denominantur ac deſignantur, veluti illæ, quæ temporis principium ſunt, præexiſtente motu, oculos habent, quibus idealem pulchritudinem in intellectu aſpicere poſſunt, quam continuò amant. Aliòſque oculos habent, quibus inferiora & ſenſibilia cognoſcant, non amandi, aut cupiendi gratia eorum formam quàm pulcherrimam, ſed ut illis eam formam, quam intellectualem poſſident, quæ cæteris formis formoſior ac ſuperior eſt, communicent, eandémque formam cœleſtem inferioribus par-*

participent. Animæ noſtræ priuſquàm corpori alligatæ & junctæ ſint, eodem modo ſe habent, ut illæ Bifrontes, nempè duas facies habentes. Quoniam (ut à Platone in Phædro *dicitur) quælibet anima (& de quacunque anima rationali, & in ſua natura conſtituta intelligendum eſt) totius univerſi corporalis curam habet. Itaque animæ noſtræ habent duas facies priuſquàm in hoc corpus humanum ſpargantur, ſcilicet ut & poſsint ſimul res intellectuales intueri, cæleſtiúmque ordinem contemplantes imitari eum vitæ modo atque conſtantia, & ſenſibilibus providere, & terras tueri. Verùm cùm in corpus deſcendunt, ſuntque in his incluſæ compagibus corporis, non ſecus illis accidit, ac ſi in medio ſectæ eſſent, ex duabus faciebus altera tantùm illis ſupereſſet, & ideò quotienſcunque illam unam faciem, quæ illis ſola remanſit, ad formam ſenſibilem vergunt, alterius viſione privantur. Hincque exoritur quod nullus utrunque Amorem poſsidere ſimul poteſt, & quem vulgarem vocant, & illum, quem cæleſtem dicimus, & ideò Zoroaſter nos ad ſupernorum pulchritudinem exhortans ità exclamat,* Extolle oculos ſurſum ac in cœlum aciem pupillarum tuarum dirige: *quod etiam Vates divinus Davides obſervavit, cùm cecinit illud carmen,* Levavi oculos meos in cœlum, & in montem, unde auxilium mihi, *harúmque rerum omnium, quas diximus de animis, illa certa teſtimonia adduci poſſunt. Quod multi ab eadem cauſa, quæ eos rapuit ad idealem formam ac intellectualem contemplationem, oculis corporalibus, quibus ſenſibilis pulchritudo cognoſcitur, fuerunt excæcati, & corporis luminibus privati. Hoc figmentum Tireſiæ deſignat à Callimacho carminibus decantatum. Qui cùm vidiſſet nudam Pallada, quæ nil aliud ſignificat, quàm illam idealem formam, ex qua emanat omnis ſapientia pura ac ſincera, & non induta, aut ab ulla materia velata, ſtatim cæcus eſt effectus, & ab eadem Pallade propheta & vates factus. Itaque illa, quæ eidem clauſit oculos corporis, eadem oculos intellectus illi aperuit, quibus non minus futura, quàm præſentia cernere ac cognoſcere poterat (cujus rei argumentum ego adoleſcens, ac penè puer in carmen aliquando conjeci, ac compoſui, rem etiam myſticè exponens) Homerus ab umbra Achillis afflatus fuit, illo furore poëtico, qui in ſe omnem intellectualem contemplationem continet, oculis corporis etiam ipſe fuit captus. Paulus, etiam* electionis vas *dictus, non prius mente elatus, ad*

tertium cœlum raptus fuit, quàm à viſione ac rerum divinarum cognitione ejus oculi rebus ſenſibilibus cæci effecti ſunt, de quo raptu forſan aliquando loquemur, (tu tamen de eo interim lege Marſilium Ficinum in Epiſtolis.) & hæc quidem Joannis Pici materno ſermone ſcripta, totidem verbis in Latinum vertimus utcunque, tamen extempore. De Jano hîc libet mihi nonnulla haud protrita ſubſcribere, quæ nec Gyraldus attigit, in ſuis de diis gentium, cùm de Jano Deo loquutus eſt. Apud quem omnia, quæ ad templa Jani, & ſacrificia & cognomina pertinent, legere poterit ſtudioſus lector, nunc hæc à me accipiat. Janus Noë ex Japhete nepos fuit, ſi Joſippo libro 1. capite xj. credimus, traditúmque exſtat in Bibliis, vel Saturni & Eleutheriæ Latini generis puellæ filius, ut lib. *phænomenôn* iij. Critolaus refert, ſed veriſimile eſt Hebræum illum *ἰώναν* multis ſeculis ante Latinum vixiſſe, primúmque vini uſum in Italia induxiſſe, unde & *Janus* dictus ſit, quod יין vinum Hebræorum ſermone dicatur. Plutarchus certè in problematis, ut ſuperius annotavi, gente Perrhæbum fuiſſe atteſtatur. Beroſus autem, graviſſimæ authoritatis vir, Noë ipſum eundem & Janum eſſe ſcribit, ductus præſertim nominis argumento quod vitiſatorem ſignificat. Huic Jano regi ex Jubale, vel, ut Joſippus mavult, nepote pronepos, Subres fuit, qui Mediolanum condidit, ut eſt author Alciatus noſter in lib. 1. ſuæ hiſtoriæ Patriæ; quam adhuc penè puer compoſuit: quam Franciſcus Alciatus, ejus hæres benemeritus, ut legere poſſem, mihi benignè conceſſit, quam & brevi editurum in lucémque miſſurum ſperamus, cùm hæc hiſtoria hujuſmodi ſit, ut cum elegantia & eruditione veterum hiſtoricorum certet. Hic ſciens prætereo, quæ de nummulis cum bifronte Jano & navicula, qui à pueris ſolerent jactari in ſublime, narrat Macrobius & Alexander ab Alexand. lib. iij. *Genial. dierum*, cap. xxj. & quemadmodum Navium, coronarum, necnon pontium, primus inventor fuerit, quod teſtatus eſt Dracon Corcyrenſis, ut Athenæus lib. xv. *Dipnoſophiſtôn* cap. xix. refert. Sed de Jano hæc ſatis & ſuper.

AENEAE

ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

ÆNEÆ PARENTEM GESTANTIS PIETAS.

PIETATIS apud veteres plura ſigna extitiſſe teſtis eſt antiquitas; quæ partim in Deos, partim in patriam, partim etiam in parentes relata leguntur: nullibi tamen expreſſius, quàm in nummis argenteis veterum conſpiciuntur: quod his proximis diebus mihi contigit oculis perſpicere. Cùm ad me hujuſmodi numiſma argenteum quidem, ſed & vetus, quod ſeculum Romanorum priſcum redolet, Angelus Arcellus Placentinus, adoleſcens clariſſimus, attuliſſet, ibi enim in priori orbe efficta Pietatis fuit effigies, in nodum complicatis poſt cervicem comis, forma muliebri: in altero verò orbe, imago Æneæ, qui cervici impoſitum patrem Anchiſen geſtabat, & in manibus Deos Penates, cum hac epigraphe, CAESAR. de Pietate Dea in præſentia non eſt quod verba faciam: mihi ſatis ſit his, qui hæc legere cupierint, locos ſcriptorum oſtendiſſe, ne hîc multa de pietate, quæ dici à me poſſent, aliena congeram. Marlianus lib. *Topographiæ Romæ* iij. cap. xij. & lib. v. cap.v. & Lilius Gyraldus libro *de Diis gentium*, Syntagmate 1. & Plinius lib. vij. cap. xxxvj. & Valerius Maximus lib. v. cap. iiij. & v. & vj. meminerunt: hîc ego tantùm cùm de numiſmatis agam, vice ſcriptorum, numiſmata proferam, & eorum inſcriptiones: & cum Poëtis res noſtra, hoc in numiſmate explicando tantùm habebitur. Virgilius igitur lib. 1. *Æneidos*, cùm progeniem Cæſarum antiquam & à Trojanis originem habuiſſe narraſſet, futuros Cæſares connumerat, qui toti orbi dominaturi eſſent: ubi illa carmina ſubjicit,

Naſcetur pulchra Trojanus origine Cæſar,
Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris,
Julius, à magno demiſſum nomen Julo, &c.

Sed ad quid hos verſus hoc loco inſeruimus? nempe ut lector ſtudioſus antiquitatis ſciat Cæſarem Julium, vel Auguſtum in honorem patris hoc tale numiſma cudi mandaſſe: ideo literæ poſitæ, CAESAR. gentem enim Juliam pro indubitato creditur ab Julo Æneæ filio manaſſe, qui Lavinio relicto Albam longam condidit, in qua & regnavit, ut & Livius lib. 1. dec. 1. hinc Tibullus,

Albaque ab Aſcanio condita Longa duce.

De Cæſare ſic Vellejus Paterculus poſteriore lib. narrat: *Secutus eſt deinde conſulatus C. Cæſaris, qui ſcribenti manum injicit, & quamlibet feſtinantem, in ſe morari cogit: hic nobiliſſima Juliorum genitus familia, & quod inter omnes antiquiſſimos conſtabat, ab Anchiſe ac Venere deducens genus, forma omnium civium excellentiſſimus, animo ſuper humanam & naturam & fidem evectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro, ſed ſobrio, neque iracundo ſimillimus, qui denique ſemper & ſomno, & cibo in vitam, non in voluptatem uteretur*, & reliqua. Appianus Alexand. idem libro ſecundo *bellorum civilium* in fine. Sed quid notiora hìc recenſeo de C. Julio Cæſare? cùm hujus penè omnis antiquitas in libris geſta, mores, vitam, originem retulerit. Quin potius alteram imaginem explicemus? Imago eſt in numiſmatis poſteriore circulo, Æneæ patrem Anchiſem geſtantis, de quo Virgilius in ij. *Æneidos* ſic,

Ergo age, chare pater, cervici imponere noſtræ,
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit.

Et paulò pòſt,

Tu genitor cape ſacra manu, patrioſque penates,
Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.
Hæc fatus, latos humeros, ſubjectaque colla
Veſte ſuper, fulvique inſternor pelle leonis,
Succedoque oneri; dextræ ſe parvus Julus
Implicuit, ſequiturque patrem non paſſibus æquis.

Quid hoc loco his verſibus ſignificantius, atque ad numiſma vetuſtum explicandum aptius? vides hìc rem ob oculos poni, non ſcribi. Sed quid moror? quin & aliorum poëtarum tantam pietatem nati in parentem efferentium ſubſcribam carmina? & quidem apud Græcos ſcriptores & poëtas mentio eſt libro Græcorum epigrammatum primo, ΕΙΣ ΦΙΛΟΣΤΟΡΓΙΑΝ. ΑΔΗΛΟΝ.

Ἐκ πυρὸς Ἰλιακοῦ, δοριθήτων μέσον ἥρπασεν ἥρως
Αἰνείας ὅσιον παιδὶ βάρος πατέρα.
Ἔκλαγε δ᾽ ἀργείοις, μὴ ψαύετε. μικρὸν ἐς ἄρη
Κέρδος ὁ γηραλέος, τῷ δὲ φέροντι, μέγα.

Hoc

Hoc autem epigramma tranſtulit Marullus Tarchoniata Conſtantinopolitanus Poëta, ſic lib. iij. *Epigrammatum:*

Cùm ferret medios proles Cytheræa per hoſtes
Impoſiti collo languida membra patris,
Parcite, ait, Danai, levis eſt ſene gloria rapto.
At non erepto gloria patre levis.

C. Vrſus Vellius ſic tranſtulit:

Iliaco Æneas igni per tela, per hoſtes,
Eripuit, nati pondera ſancta, patrem,
Atque ait hæc Grajis, Huic parcite, parva duello
Hic, mihi geſtanti præda ſed ampla pater.

Alciatus autem omnium feliciſſimè ſic expreſſit in Emblemate

PIETAS FILIORVM IN PATREM.

Per medios hoſtes patriæ, cùm ferret ab igne
Æneas humeris dulce parentis onus.
Parcite (dicebat) vobis ſene adorea rapto
Nulla erit, erepto ſed patre ſumma mihi.

Sed jam Synceri Sannazarii cultiſſimum Epigramma in gemmam ſuam afferamus, in qua conſtat fuiſſe ſculptum Æneam Anchiſęn patrem & Aſcanium gerentem, quam gemmam è ruinis Sinueſſæ civitatis erutam ità ille celebrat lib. 1. *Epigrammatum:*

Hæc, mihi quæ roſeos juſſit ſordere hiacynthos,
Et nitet articulis unica gemma meis,
Cujus in exiguo ductor ſtat Troïcus orbe,
Anchiſeſque ſenex, Aſcaniuſque puer.
Quis credat? veteres inter neglecta ruinas,
Et vili latuit ſemiſepulta ſolo.
Tu tamen obrueras, nec te Sinueſſa pudebat
Hoc decus heu terris occuluiſſe tuis.
Scilicet Æneam, natumque, patremque gerentem,
Ignibus ereptos obruereſque Deos?
Parcere debueras, cui jam pia flamma pepercit,
Nec te tam turpi dedecorare nota.
Et dubitem Belgaſque feros, rigidoſque Britannos
Hac comite ignotos & penetrare ſinus?
Hæc eſt Iliacos pietas ſpectata per igneis,

Cùm verita eſt profugos lædere flamma Deos.

Nunc ad ea numiſmata, quæ pietatem præ ſe ferunt deveniamus. In nummo argenteo Otacillæ Severæ Auguſtæ, ubi ejus extat imago, hæc ſunt verbà in primo orbe, OTACIL. SEVERA AVG. in altero autem orbe extat pietatis imago ita expreſſa, ut manum habeat expanſam, læva pallam in urnam ſuſtollat, cum hac inſcriptione, PIETATI AVGVSTAE. manum autem habere paſſam adorationis apud veteres ſignum erat, ut apud poëtas, & alios ſcriptores eſt legere. Hinc Virgilius iij. *Æneid.* cùm Anchiſes Diis vota facit, ait,

Et pater Anchiſes paſſis de littore palmis,
Numina magna vocat, meritoſque indicit honores.

Manum autem protendere, ſeu tollere, ſignum victoriæ fuit, ut etiam Plato in ſecundo *de legibus* auctor eſt: pacis petendæ etiam indicium fuit, ut Alexand. in *Genialibus* lib. iiij. cap. ult. in fine narrat. In alio numiſmate æreo, de quo etiam in Julii Cæſaris numiſmate mentionem feci, inſignia ſunt Pietatis: in anteriori parte imago eſt Maximi Pupieni his notis, MAXIMVS CAES. GERM. in poſteriori autem eſt vaſculum libationis aptum ſeu infundibulum & patera, cum lituo aſperſorio, & lucernula: inſcriptio eſt PIETAS AVG. & hæc quidem in Deos eſt pietas: ſed & in T. Ælii Cæſaris nummo ſimulachrum eſt utraque manu paſſa, ara adpoſita cum inſcriptione, PIETAS. In Hadriani Aug. nummo idem ſimulachrum eodem habitu, ab cujus uno latere ciconia adſiſtit, ab altero ara eſt corymbis ornata his notis, PIETAS AVG. In nummo divæ Auguſtæ Fauſtinæ ſimulachrum eſt, quod læva pallam ſuſtentat, altera in ignem, qui de pulcherrimè facta ara promicat, libamina porricit, cum inſcriptione, PIETAS. eſt & ara poſita ante ſignum, in cujus manu patera eſt libationi parata in nummo Lucillæ, inſcriptio, PIETAS. & ex his quidem multa à Pierio Valeriano in *Hieroglyphicis* traduntur: tum de ciconia, quæ Pietatem ſeu gratiarum actionem filiorum in parentes deſignat: cujus ſenſus à prudenti viro Alciato in emblematis exprimitur, & à Budæo viro undecunque doctiſſimo dictu relatum extat in annotationibus in pandectas: hinc pietatis cultrix. Hic plura alia de Pietate congererem, ni ſupervacuum fore exiſtimarem. Illud hic tantùm afferam, apud veteres in

ſceptris

ſceptris regiis ità expreſſam fuiſſe Pietatem, ut Impietati anteferretur, caput ciconiæ in ſumma Hippopotami cruris parte ſtatuebant, id indicantes, ut pietatem amplexari deberemus, impietatem verò aſpernari, vel, ut ait Budæus, ſignificare volentes juſtitiæ obnoxiam eſſe violentiam: cujus juſtitiæ eſt ſymbolon ciconia. Hippopotamus verò Nili equus, animal improbiſſimum eſt. Sceptri autem, quod ità exprimi ſolere ſupra dixi, adhuc extat ſignum vetus in venerandæ vetuſtatis ahenea tabula Petri Bembi Cardinalis, quæ ſuperioribus annis, cùm Patavii agerem ſtudiorum philoſophicorum cauſa, oſtendit mihi ſimul & Federico Granvellæ adoleſcenti literato, ac nobiliſſimo, Torquatus Bembus Petri filius, cùm alia multa antiquitatis ſigna ac opera, præcipuè libros Virgilium & Petrarcham manuſcriptos, nobis admirantibus, idem benigniſſimè videnda permiſiſſet. Illud & hìc non omittam, in quibuſdam nummis Antonini Pii Auguſti ſignum eſſe Æneæ patrem in humeris geſtantis, quem nummum ille cudi juſſerit, ut Pietatem in ſocerum ejus à ſe habitam oſtentaret, ille enim languidum ſocerum humeris ſublatum in ſenatu, vel quo opus fuiſſet Pii Æneæ inſtar ferebat. Sed & aliud numiſma argenteum memini me vidiſſe, in quo cujuſdam imago fuerat, qui patrem geſtabat, non tamen eo modo vel more, quo Æneas, & Antoninus: ſed alio modo, nam in humero tantum uno ſeſſitabat, qui portabatur, pedibus ad imum prominentibus. Sed & Pietas noſtra à patribus ſanctis accepit, ſuſcepítque illum magnum heroëm inſtar gigantis & inter divos retulit Chriſtophorum, inter ærumnas nempè hujus mundi maria ſulcantem, & vadentem, ut Pietatis in Chriſtum illius divi nobis remaneret Hieroglyphicum, ac exemplum: de quo ſic cecinit in Hymnis ſuis Vida Cremonenſis poëta illuſtris,

Chriſtophore, infixum quòd eum uſque in corde gerebas,
Pictores Chriſtum dant tibi ferre humeris.
Quem geſtans quoniam multa es perpeſſus amara,
Te pedibus faciunt ire per alta mari.
Id quia non poteras, niſi vaſti corporis uſu,
Dant membra, immanis quanta gigantis erant,
Ut te non capiant, quamvis ingentia, templa,
Cogeris & rigidas ſub Jove ferre Hyemes.

Digitized by Google

Omnia quòd victor ſuperaſti dura, virentem
Dant manibus palmam, qua regis altus iter.
Quod potis, ars tibi dat, nequeat cùm fingere vera.
Accipe cuncta bono tu bonus iſta animo.

Sed ut & ego in præſentia aliquid de penatibus Diis poſt multos dicam, cùm hic detur occaſio, pauca ſubjiciam, deinde authores citabo omnes, qui de his mentionem fecerunt. Penates dicti ſunt veteribus Dii domeſtici, ſecundum alios Dii patrii & urbani, & Dii urbis tutelares, *penates* quaſi *penes nos nati*, nec longè à vita noſtra remoti, ſed qui nobis penitus inſident: ut Cicero *de natura Deorum* lib. ij. Mirum eſt, quòd de Diis penatibus Val. Max. refert lib. 1. cap. viij. *de miraculis: Penates Deos Æneam Troja advectos Lavinii collocaſſe, inde ab Aſcanio filio ejus Albam, quam ipſe condiderat, tralatos priſtinum ſacrarium repetiſſe: & quia id humana manu factum exiſtimari poterat, relatos Albam voluntatem ſuam altero tranſitu ſignificaſſe.* Illud ſciendum, penatium nec eorum numerum nec eorum nomina ſciri ſecundum Varronem: & licet alii alia dixerint, adhuc tamen incertum eſt qui fuerint. De figura autem & forma ita proditum eſt à Timæo hiſtorico, eos lituos ferreos, & æreos & Trojanum vas quoddam fictile fuiſſe, eáque in occultis, & reconditis Lavinii jacuiſſe ſacra: & in nummo noſtro quidem eſt puſilla imago cum ſcuto & pilo trigono. Jactum quidem illum fuiſſe palladium cœlo lapſum breve auguror, quod filia Pallantis, cùm Dardano in Arcadia nuberet, dotis nomine numen attulerit, & cum hujuſmodi ſcuto ſimulachra magnorum Deorum hoc eſt penatium: ſunt, qui etiam hos penates *Deos patrios* vocent, ut Virgilius,

Dii patrii ſervate domum, ſervate nepotem,
Veſtrum hoc augurium veſtroque in numine Troja eſt.

Sed Plutarchus in problematis illum Deum, in cujus tutela eſſet urbs, ait nefas fuiſſe nominari: hinc evocationes penatium fiebant ab hoſtibus teſte Macrobio lib. iij. *Saturnalium*, capite viij. de quibus Virgilius lib. ij. *Æneidos*,

Exceſſêre omnes adytis, ariſque relictis,
Dii, quibus imperium hoc ſteterat.

De his mentio eſt in l. *ſacra.* ff. *de rerum diviſione* apud juriscon-

conſultos. Plinius libro xxviij. cap. ij. meminit. Æneas apud Virgilium ſocios penates vocat initio lib. iij.

—— Feror exul in altum
Cum ſociis, natoque, penatibus, & magnis Diis.

Et paulò pôſt,

Hoſpitium antiquum Trojæ, ſociique penates.

Æneas etiam apud Didonem jactat ſe Deos penates eripuiſſe à flammis Trojanis: ideo illum Virgilius ſic in primo *Æneid.* loquentem inducit,

Sum pius Æneas raptos qui ex hoſte penates
Claſſe veho mecum, fama ſuper æthera notus,
Italiam quæro patriam, & genus ab Jove ſummo.

Sed jam, ne plura aggregem hoc loco, quàm par ſit, authores, qui de diis penatibus fuſius loquuti ſunt, ſubjiciam, ut qui voluerit totam rem cognoſcere, certos locos adire poſſit. Lilius igitur Gyraldus noſter, Syntagmate xv. plenius de penatibus meminit in libro *de Diis gentium*, & Pierius Valerianus in *Hieroglyphicis* lib. xlij. ubi de haſta differit: meminit & Marlianus lib. ij. cap. 4. & xviij. *Topographiæ Romæ:* & Alexander ab Alexandro libro quinto capite duodecimo *dierum Genialium*, & libro ſexto capite quarto. Hic poſt ſcriptam hiſtoriam de Ænea patrem Anchiſen geſtante ſuperpondii vice licebit in gratiam amicitiæ & benevolentiæ & affinitatis, qua cum illuſtri adoleſcente & clara indole prædito Ludovico Tuiſco, Comite, conſtringor, illud addidiſſe, poſtquam ille benignitate uſus perrara, ad me miſit Roma duo antiquiſſima argentea numiſmata, alterum mehercle Æneæ pietatem in patrem præ ſe ferens, alterum Domitiani in tergo ancoram navis oſtentans: quæ quidem numiſmata ideo mihi chariora ſunt, quòd gratioſo muneri, nobilitatíque convenientia noſtræ, in perpetuam utriuſque noſtri memoriam conſervantur. Cùm & amicitiæ Romanæ, & virtutis clariſſimi nobiliſſimíque viri Julii Vrſini antiquitatum Romanarum peritiſſimi ſplendore famáque non modicum commovear attractus, qui, ut ex ſcriptis literis ejuſdem ad Ludovicum Comitem Tuiſcum, & à Ludovico ad me miſſis conſtitit, extare narrat etiam vetus numiſma æreum Romæ apud Alexandrum Corvinum doctiſſimum ac celeberrimum virum, in cujus poſtremo orbe cernatur Æneas patrem ſuum

Anchiſem geſtans cum Julio patrem ſubſequente, & cum Lupa Romulo puero lac præbente: ſicut & illud apud eundem Corvinum extare Julius idem Vrſinus ſcripſit, nempè in numiſmate Antinoi, præter verba, Ἀντίνοος ἥρως, in altera nummi parte legi, ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ ΝΙΚΟΜΗΔΕΙΑ. & de his ſatis.

ANTIOCHI SOTERIS SALVS.

In argenteis Antiochi numiſmatibus, illis quidem vetuſtis vidimus Antiochi ipſius imaginem, ſignúmque ex altera parte hujuſmodi, cum his notis, erat triplex Triangulus inter ſe quinquelinearis, in quo ὑγίεια erat inſcriptum, & SALVS. quod etiam Lucianus Samoſatenſis *de compellationis errore* notavit: τελεπλοῦν τρίγωνον διαλλήλων τὸ πεντάγραμμον, quod eſt idem quòd Triangulus Triplex inter ſe quinquelinearis, hoc autem Symbolum Græcè πεντάγωνον dicitur: verba autem illa ὑγίεια, *ſalutem*, ſeu *ſanitatem* deſignant. Figuræ autem, quæ in moneta Antiochi fuit, hanc cauſam exſtitiſſe ferunt: Antiochus, qui *Soter* cognominatus fuit, cùm adverſus Galatas, viros ferociſſimos, pugnaturus eſſet, dubiáque eſſet futura victoria, ſimulavit ſibi in ſomno apparuiſſe Alexandrum Magnum, qui militibus, pro teſſera bellica, ſignum ſanitatis aliquod proponere admoneret, ſicque victoria contra Galatas potiturum, hócque finxiſſe Antiochum ferunt, ut ipſe animos militum erigeret, qui videbantur deſtituti, invitique commiſſuri pugnam. Hanc rem ſcio à multis ſcriptoribus narratam, & in primis à Joanne Rheuclino, cognomento *Capnione*, in libro iij. *de Arte Cabaliſtica*, prope finem, ubi tractat de ſignaculis, ac ſigillis ad ſanitatem, & ſalutem pertinentibus. Quo loco aſſerit à ſe viſam Antiochi monetam argenteam, ſymbolo pentagoni percuſſam: hócque volui dixiſſe, ne forte quis putaret, hoc à me fictum. Cælius Calcagninus lib. 3. *epiſtolicarum quæſtionum*, & Lilius Gregorius Gyraldus noſter libro de Diis Gentilium, ſyntagmate 1. de hac re meminerunt: & ego ſuperiore anno epiſtolam hujus argumenti, cùm eſſem Patavii, ad Vincentium Catum Vicentinum adoleſcentem, optimè inſtitutum bonis literis, ſcripſi: cùm quidem ille perturbata eſſet valetudine. Sed ne in præ-

ſentia



Digitized by Google

Digitized by Google

ſentia obmittatur expoſitio non trita de ſalute, quæ in nummo Antiochi fuit, nonnulla hîc ſubſcribam. SALVS olim pro dea habita à Romanis in hunc modum pingebatur, Mulieris forma in ſolio ſedentis pateram tenentis, penes quam ara erat, aræ anguis involutus, caput attollens. Et hæc quidem Salutis vera imago, quòd autem ſit in manu patera, illud puto ſatis notum ex Virgiliano verſu libro v. cùm Æneas celebrat ſacra Anchiſæ parenti, atque ei parentat. Nam cùm è tumulo Anchiſæ anguis exiſſet, reſtauravit Æneas etiam atque etiam honores inceptos, atque ut ait Poëta,

Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchiſæ.

Vina etenim cujuſcunque ſacrificii potiſſima pars ſunt, ajúntque auctores, Galenus lib. xj. *de ſimplicium pharmacor. poteſtate*, & alii, quod à Cœlio Rhodigino *lect. antiq.* lib. vj. cap. xvj. relatum extat, angues ſeu viperas plurimùm vino delectari. Juvenalis hoc etiam innuiſſe videtur vj. Satyra,

—— Nam ſic tanquam alta in dolia longus
Deciderit ſerpens, bibit, & vomit.

Quòd aræ involutus ſit anguis, pro Æſculapio deo habito id factum putaverim, cùm Valerius Maxim. libro i. capite *de miraculis*, referat Romanos ob ingentem peſtilentiam Romæ natam ad Epidaurios miſiſſe ut in Vrbem Æſculapius accerſeretur, cùm ex Sybillinis libris inſpectis id eſſet animadverſum, peſtem ob hoc ceſſaturam: refértque idem Valerius, Epidaurios pro Æſculapio anguem veneratos fuiſſe, qui poſtea in ædem Æſculapii prolapſus ſit. Hanc rem Alciatus noſter in eleganti emblemate, *Salus Publica*, carminibus hiſce depinxit, ad Ambroſianum anguem alludens, qui Mediolani extat in columna marmorea in æde divi Ambroſii,

Phœbigena erectis Epidaurius inſidet aris,
Mitis, & immani conditur angue Deus.
Accurrunt ægri, veniatque ſalutifer orant.
Annuit, atque ratas efficit ille preces.

In Fauſtinæ Auguſtæ numiſmate æreo, quod Joſephus Bentius, Novocomenſis, amicus meus mihi dono dedit, erat mulier ſedens, quæ pateram angui in arula porrigebat, cum his notis, SALVTI AVGVSTAE. S. C. Publius Ovidius in xv. *Transformationum*, propè

propè finem, Æſculapium ita inducit loquentem, ut ſalutiferum Deum cognoſcant,

Pone metus, veniam, ſimulachráque noſtra relinquam,
Hunc modò ſerpentem, baculum qui nexibus ambit
Proſpice, & uſque nota, viſum ut cognoſcere poſſis.

Hinc ſapientiores Cabaliſtæ figuram Crucis ad lignum æneí ſerpentis in deſerto erectum referre volunt, licet valdè ſilenter & occultè, idque per æqualitatem numeri. Horum namque צכם id eſt, *crucis*, & עץ id eſt, *ligni*, characteres utrinque centum & quinquaginta ſymboliſſant, quare facilis de altero ad alterum fit tranſitus, de cruce ad lignum, & de ligno ad crucem. Poſtquàm hìc de ſalute loquimur, de Hercile quædam placet ſubdere. Sciendum eſt, quòd Thaſii Herculem Salvatorem nominârunt, & monetæ publicæ inſcripſerunt. Sic, ἡρακλέως σωτῆρος θασίων, id eſt, *Herculis Salvatoris Thaſiorum.* Hujuſcemodi nummum argenteum, priſcè percuſſum, ego aliquando vidi, utque ſoleo erga res antiquiſſimas incredibili voluptate his meis digitis verti legens, ac reverti: ſed cùm tot apud veteres fuerint, qui ſalutem mortalibus traderent, nullus tamen univerſo orbi præter JESVM CHRISTVM, qui Salus vera eſt credentium animarum, polliceri aut inferre ſanitatem, & ſalutem potuit. Extollant Epidaurii ſuum Æſculapium. Jactent Curtium & Decios Romani, Thaſii Herculem ſuum pro Deo habeant, Ægyptii ſuum Ptolemæum, Apímque ſuum in templis venerentur, Siculi etiam Verrem ſuum publica ſtatua in Syracuſis σωτῆρα inſcribant, ut in 4. *Verrina* Cicero atteſtatur: nos qui nomen Chriſti, & characterem in fronte ſignatum gerimus, JESVM CHRISTVM ſalvatorem noſtrum adoremus, amemus, illúmque imitemur, illum colamus, illi ſoli gratias habeamus, quòd nos ex ægris ſanos reddat, quòd nos ab illo angue, qui miſeras, ac credulas olim gentes decipiebat, liberaverit: quódque nobis benefacientibus, ac illius præcepta ſervantibus, ſit cœleſtem ſedem donaturus, propter ejus ſolam bonitatem, non quòd nos patriam divinam mereamur. Omnia igitur bona à Deo Jeſu Chriſto ſolùm emanare, mala autem à nobis ipſis provenire pro certo habeamus: vera namque ſalus eſt ſempiterna & permanens, quæ in Deo Jeſu Chriſto eſt, & ab eo tribuitur. Quod etiam Ariſtoteles videtur ſenſiſſe in libro *de mundo* ad Alexandrum,

cùm

Digitized by Google

cùm ait, *Ex Deo, & per Deum nobis omnia conſiſtunt, nullaque natura per ſe ſufficiens eſt, carens illa, quæ ex eo eſt, ſalute.* Dein adjungit, τῆγε ὐσίᾳ, σωτὴρ μὲν γὰρ ὄντως ἁπάντων ἐστὶν, hoc eſt, *cunctorum, quæ rerum Natura complectitur, conſervator eſt Deus.* Quin & divinus Plato in *Timæo*, ſeu *de Natura*, ita Deum loquentem inducit, ad cæteros divos, *Dii Deorum, quorum opifex ego, & pater ſum, hæc attendite, Quæ à me facta ſunt, me ita volente indiſſolubilia ſunt: omne ſiquidem quod vinctum eſt, ſolvi poteſt: ſed mali eſt, quod pulchrè compoſitum eſt, ſeque habet bene, velle diſſolvere:* &c. Conſtat igitur ex Peripateticis, & Platone ipſo, ſola voluntate Dei permanentiam concedi rebus quibuſlibet, pro captu ſuo, háncque veram ſalutem eſſe, quæ tantùm in Chriſto inventa eſt, qui ex permanentia ſolus univerſum mundum factus homo, in veram ſanitatem reduxit, & quidem verbum *ſalvari* pronunciamus à læſione ſervati, ut res tranquillè permaneant. Quam ſententiam unanimi conſenſu Græcorum legati anno ab hinc M. CCCC. XXXVIII. in univerſali concilio Baſilienſi quadam Græca habita perilluſtri oratione, hunc in modum expoſuerunt Græcè illi quidem, ſed in hunc ſenſum: *Ipſum autem* SALVARE, *&* SALVARI, *& ipſa* SALVS *ſimpliciter nihil aliud apud Græcos, & in noſtra vult lingua, quàm permanere & eſſe.* Hactenus illi, & quidem rectè, nam cùm ſint homines morti obnoxii, utque immortales ſint, divinæ voluntati obtemperant, ſéque ei reddunt ſimiles. Illi mehercule ſalutem dicuntur conſequuti. Et is, qui eis impertitur æternam beatudinem, Salvator quidem dicendus eſt. Quod vocabulum, qui poſt Ciceronem fuerunt, uſu ceperunt, illud quidem inauditum, ſed quod tamen ab Chriſti cultoribus dici poſſit Latinè, & ſanè omnis alia ſalus, quæ à Chriſto Jeſu non ſit, non propria, ſed imaginaria nominanda eſt. Salutem noſtram igitur Jeſum Chriſtum fuiſſe, & eſſe, & futurum eſſe fateamur, qui lignum crucis aſcendens, morte ſua, nos homines ab inferis redemit. Quod autem ſpectat ad verbum illud Græcum, quod in moneta Antiochi fuit, HYGIA, ſciendum eſt ſanitatem ſignificare, & Hygiæ quidem Æſculapii non unica fuit filia, quæ etiam alias ſorores habuerit, Panacen, Æglen, & Jaſo. Hujus autem Hygiæ memoriam adhuc ſtylobates elegantiſſimi quadratarii manu fabrefactus oſtendit, qui pro foribus Trivultiorum adſtat Medio-

Digitized by Google

diolani, & quem Cajum Leonatem libertum, rei divinæ addictum, Æſculapio & ejus filiæ Hygiæ dedicaſſe, inſcriptio indicat. Quam eò libentius hoc loco ſubſcribere volui, propterea quòd in elogiis ſuis & in lib. 3. ſuæ hiſtoriæ patriæ, præclariſſimus Alciatus noſter eam poſuit, quæ quidem elogia & hiſtoriam librorum quatuor nondum edita. Speramus tamen nos Franciſcum Alciatum ejus & virtutum & facultatum hæredem benemeritum, & Juriſconſultum elegantiſſimum brevi in lucem miſſurum. Hujuſmodi igitur inſcriptio fuit in eo ſtylobate:

AESCVLAPIO ET HYGIAE SACRVM: C. OPPIVS C. L. LEONAS VI. VIR. ET AVG. HONORATVS IN TRIBV CL. PATRVM ET LIBERVM CLIENTIVM ADCENSVS. PATRONIS SANCTISSIMIS COMMVNICIPIBVS SVIS D. D. QVORVM DEDICATIONE SINGVLIS DECVRIONIBVS XII XIII AVGVSTALIBVS ET COLONIS CENAM DEDIT.
L DDD.

Hic poſtquàm in Æſculapii mentionem incidimus, libet quædam non protrita referre, ut quomodo Pythagoras Æſculapio gallum nos debere præceperit, legentes ſciant. Cùm Lactantius *divinarum inſtitutionum* libro ſubſannans Deos gentium, quid ſit *gallum Æſculapio nutrire* ſeu *debere* non videatur intellexiſſe, quod Cœlius Rodiginus libro *lec. antiq.* xvj. cap. xij. comminiſcitur in Lactantium invehens. Sed ante hunc Cœlium, Joannes Rheuclinus cognomento Capnio libro 2. *de arte Cabaliſtica* in Lactantium fuerat ſtomachatus: & Joannes Picus Mirandulanus, Phœnix illa totius rei literariæ, ante hos omnes in ſua quadam elegantiſſima oratione ſymbolum Pythagoræ exponens præmeditatus fuerat: quod ſymbolum etiam à Lilio Gregorio Gyraldo noſtro in libello ſymbolorum Pythagoræ variè explicatur: ſed hic Johannis Pici, & Rheuclini ſententiam altiorem operæ pretium eſt ſubdere. Voluit igitur Pythagoras admonere hoc ſymbolo nos, ut gallum nutriremus, hoc eſt, ut divinam animæ noſtræ partem divinarum rerum cognitione, quaſi ſolido cibo, & cœleſti ambroſia paſceremus. Hunc gallum moriens Socra-

Digitized by Google

Socrates, ut eſt apud Platonem in *Phædone*, cùm animi ſui divinitati majoris mundi copulaturum ſe ſperaret, Æſculapio, id eſt, animarum medico, jam extra omne morbi diſcrimen poſitus, ſe debere dixit, & meo judicio non ſine cauſa. Nam Æſculapius à veteribus dictus eſt jubilatio Apollinis & victoria, & triumphus, qui *Pæan* appellatur, eò quòd Pæan ceſſationem & quietem poſt liberationem nominavit. Quam aptè igitur apud Platonem Apollini, id eſt primo parenti ac incorporeo Soli, & æternæ vitæ diſpenſatori, Socrates moriturus animum tranquillè & cum lætitiæ jubilo, & Pæane reddidit: cùm in Æſculapio veneratus eſt Apollinem, hoc eſt Solem vitæ datorem, dignum ratus cuique optimo officium eſſe, ut ſuperato hujus mundi Pythone cum per mortem celerrimè ad veram vitam iter capeſcitur, Æſculapio quidem offerre nos debere gallum, hoc eſt Pæana celebrare, ſic Orpheus, Vatum vetuſtiſſimus, de Æſculapio cecinit in hymnis:

ΙΗΤΗΡ πάντων ἀσκληπιὲ δέσποτα παιάν,
Ἔλθὲ μάκαρ σωτῆρ, βιοτῆς τέλος ἐσθλὸν ὀπάζων.

Id eſt, *Sanator omnium Aeſculapie domine Pæan,*
Veni beate ſalvator, vitæ finem bonum præbens.

Quod autem ad triangulum in ſe volutum attinet, & quinquelinearem: primò ex abſtruſa & occulta cabaliſtarum Philoſophia illud proferendum, ac in medium ponendum eſt, quod duo primus eſt numerus, unum verò eſt numeri principium, & unum hoc Deus eſt, ex uno itaque producente, duobúſque productis trinitas oritur: hinc fit ille triangulus triplex, duo enim ad unum commeant, unúſque ad duo, ſicque ternarium perficiunt numerum, qui perfectiſſimus inter omnes numeros habetur, & in Magia præcipuè: unde illud Tibullianum,

Ter cane, ter dictis deſpue carminibus.

Et Virgilius in *Pharmaceutria:*

Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore,
Licia circundo, térque hæc altaria circum
Effigiem duco. Numero Deus impare gaudet.
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores.

Ovidius in 2. *Faſtor.* dum cauſam feralium docet, quandam anum ex numero ternario ſacra facere his carminibus refert:

Digitized by Google

Ecce anus in mediis reſidens annoſa puellis,
Sacra facit tacitè: nec tamen ipſa tacet.
Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit,
Qua brevis occultum mus ſibi fecit iter.
Tunc cantata tenet cum fuſco licia plumbo,
Et ſeptem nigras verſat in ore fabas.
Quódque pice aſtrinxit, quod acu trajecit ahena,
Obſutum mentha torret in igne caput.
Vina quoque inſtillat: vini quodcunque relictum eſt,
Aut ipſa, aut comites, plus tamen ipſa bibit.
Hoſtiles linguas, inimicáque vinximus ora,
Dicit diſcedens, ebriáque exit anus.

Ariſtoteles lib. 1. *cæli* juxta Pythagoricorum ſententiam ait, *Omne ac omnia tribus definiri, fine, medio, atque principio, hæcque habere ipſius omnis numerum, hæc autem trinitatis.* Quapropter in celebrandis Deorum ſacrificiis uti ſolemus hoc à natura numero ſumpto: puto ſatis conſtare numerum ternarium, & ad divinam magiam & γοητείαν execrandam, & portentoſam ſpectare: ſed, ut abundantius ex Philoſophia penuarium depromamus, ad hoc probandum hîc addatur, quod Xenophanes Parmenidis præceptor, & idem Pythagorę coæuus, cùm tamen mos eorum temporum fuerit iſta cælare, dixit illud unum eſſe Deum: ex quo Pythagoras ſtatuit infinitum, hoc eſt, Deum & unum, id eſt, duo & numerum eſſe rerum prima principia, per infinitum enim nihil aliud voluit intelligere, quàm ipſum poſſe. Nullus enim quicquam excogitare poteſt prius ipſo poſſe, quod maximè infinitum in ipſo Deo eſt. Imò ipſum infinitum Deus eſt, in quo non ſeparantur *eſſe* & *poſſe:* quod omnes eſſentias, virtutes, & operationes omnium producibilium, & ſingulorum quorumcunque continet. Hinc Ideam optimo jure antiquiſſimi Philoſophorum nominârunt. Cujus quidem poſſe eſſe complectitur omnia mentalia, rationalia, intelligibilia, ſenſibilia, vitalia, ſubſtantialia, adhæſibilia, & adhæſiva: & non tantùm quæ ſunt, verumetiam, quæ non ſunt: meritò igitur infinitum Pythagoras ex infinita & eſſentiali Idea, quæ complectitur res infinitas, prout ipſe Deus, unum ex primis principiis rerum nominavit: cujus opinioni viſus eſt aſſentiri Anaxagoras, cùm dixit, quòd omnia erant ſimul & miſta: cui & Democritus con-

conſentiens, *Erant* (inquit) *omnia ſimul potentiâ* videlicet δυνάμει. id eſt, in ipſo poſſe: & hæc eſt Empedoclis & Anaximandri illa miſtura, ſeu rerum commiſtio in deitatis pleno lumine diſcreta; & in ipſo infiniti luminis intimo penetrali ordinata: per unitatem autem formam alteritatis materiam deſignant authores infinitum in mundo ſuper ſupremo & incomparabili unum, ſeu identitatem in mundo intellectuali: duo, ſeu alteritatem in mundo ſenſibili. Eſt enim materia alterationis mater. Plato autem & Socrates tria rerum principia fecerunt, Deum, Ideam & materiam. Ariſtoteles autem lib. 1. *phyſicorum* ponit rerum principia, materiam, formam & privationem. Sed de numeris jam Alexandrum Aphrodiſienſem lib. 1. *Methaphyſic.* audiamus: dicit Alexander, *Putaſſe Pythagoricos Mathematum principia omnium rerum principia eſſe: ſicque numeros, quia numeri rebus priores ſint. Numeri enim ex abſtractione ſumuntur, adjiciebant & entia ad numeros, & hos illorum eſſe dicebant & corpora. Ternarium autem ſex & novem facere ſtatuebant, ſic quinarium decem generare, quem denarium numerum perfectum putabant. Nam unum, duo, tria, quatuor, collectivo progreſſus conficiunt, & extra decem nihil eſt: quem* Tetractyn *Pythagoras dixit quòd nomen ex tetragrammate, ſeu potius ex quatuor literis, ex quibus nomen Salvatoris componitur, non malè viſus eſt in tetractyn commutaſſe Pythagoras: igitur numerus ille quinquelinearis ſalutem afferre videtur: cùm x. generet, numerúſque denarius perfectus ſit, qui ad tetractyn Pythagoricam pertinet, quia unum & duo faciunt tres, ternarius verò ex uno & duobus conſtat, ſic ſex & quatuor fiunt, ac reſolvuntur in x. quo tetractys idea omnium rerum, ſanctúmque nomen exoritur, nimirum ex tetragrammate, quod Salutis nomen deſignat proveniens. Et quidem denarius duo amat, ut ab uno progreſſus naſcatur per duo, & per duo redeat in unum. Nam unum, duo, tria, quatuor, de omnipotente potentia ad energiæ actum exeuntia producunt x. quorum dimidium eſt quinque. Sat credo nos expoſuiſſe triangulum quinquelinearem numerum, qui in Antiochi numiſmate fuit, & ſi forte obſcurius quàm decebat, quod ideò factum à nobis eſt, propter rei difficultatem, non potui mehercle clarius hæc, quæ ex intimis Cabaliſtarum arripui arcanis ac ſecretioribus myſteriis ſenſa exprimere. Boni igitur conſulat lector hæc qualiacunque ei nunc damus.* Hoc ex Alexandro Aphrodiſienſi annotatu dignum, interim non

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

omittentes, quod Pythagorici per numerum quinarium appellabant nuptias: quia nuptiæ ſunt maris & fœminæ conjunctio, cùm autem impar numerus illis ſit mas, par viciſſim fœmina (ut Plutarchus in problematis refert) hic primus ex primo numero pari, id eſt, duobus & primo impari, id eſt, tribus gignitur. His enim impar erat mas, par verò fœmina, quod & Plutarchus Cheronæus in problematis refert, cùm de quinque facibus nuptialibus meminit. Ad hæc mentem & ſubſtantiam appellabant unum, animam enim pro mente dixerunt. Sed quia mens ſtabilis eſt, & undique ſimilis, & principatum obtinet: idcirco mentem ùnum appellabant, & unitatem, quinetiam ſubſtantiam, quoniam ſubſtantia primum eſt. Duo vocabant opinionem, quia in utranque partem flecti poteſt, motum item & impoſitionem, numeros etiam omni Natura priores eſſe ſtatuebant hoc pacto, par & impar ſumebant, quorum par infinitum, impar finitum eſſe credebant: numerorum autem unitatem eſſe principium ex pari & impari conſtantem. Si quidem unitatem parimparem eſſe dicebant, quod oſtenditur, quoniam ipſa genitrix eſt paris & imparis numeri, quippe quæ addita pari numero imparem efficit, impari verò parem. Et hæc quidem Alexander in lib. 1. *Methaphyſices*, ubi multa de numeris.

LYSIMACHI NVMISMA.

APVD Joannem Cavinium, Patavinum, aurificem celeberrimum, numiſma æneum vidimus, in quo Lyſimachi, Regis Thracis, facies cornigera effictaextabat, ex altera parte. In altera verò parte erat mulier armata, ſedens in clypeo, cum victoriola in manu, his verbis Græcis ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ quod numiſma eò libentius vidimus, propterea quòd rarum inventu eſt, nec multum circumfertur, oſtendebat autem nobis idem Joannes Cavinius, aurifex nobiliſſimus, & ſummus Antiquarius, quædam præclara ſui operis monimenta, qui adeò veterum numiſmatum expreſſor eſt optimus, ut veras Romanorum Cæſarum effigies nuper arte ſua repræſentaverit, quíque primus hàc ætate veterum Romanorum Græcorúmque numiſmatum mirus reformator, ac renovator extiterit, adeóque præclarus

Digitized by Google



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.

Digitized by Google

clarus & excellens in fundendo has imagines,ut illos veteresRomanos artifices, vel æquet, vel etiam ſuperet. Quid enim illis duodecim Cæſarum nummis à ſe nuper excuſis elegantius videri poteſt? in quibus imagunculas penè vitam ſpirantes cernas: non eſt quòd ibi diligentiam & ingenium, ac quendam in tenui opere politiorem ac excultiorem laborem deſideres, nihil enim deeſt quod undequaque artificem miris extollat ladibus, ſed quid laborioſius ac elegantius illis duobus nummis ęreis,quos proximis diebus excuſit, alter quidem eſt,in cujus priore latere Servatoris noſtri, cruci affixi extat ſignum: à tergo verò hæ notæ leguntur PORVS MAGNI CONSILII FILIVS. Alterum numiſma & ipſum æreum eſt in cujus anteriori parte extat Marci Antonii Januæ, Paſſeris, ſummi Philoſophi facies, quàm ſimillima ipſius. In poſteriori verò duo ſunt illa hominum geminatim, ſimúlque juncta Platonica corpora cum hoc titulo, PHILOSOPHIA DVCE REGREDIMVR. Cùm igitur à me petiiſſet idem Joannes Cavinius, ut ſibi exponerem hoc numiſma,cauſámque ei afferrem cur cornigera eſſet Lyſimachi facies, dixi tunc mihi non ſubire memoriæ rationem ejus numiſmatis, me tamen legiſſe alicubi hiſtoriam Lyſimachi, & cùm puer eſſem luſiſſe me carmine hanc imaginem, verùm non recordari: cùm igitur me domum contuliſſem, manum ſtatim libris injiciens, Appianum Alexandrinum in *Syriacis* de hac re mentionem feciſſe ſuccurrit: qui hujuſmodi cauſam affert, quòd ſylveſtrem taurum in Alexandri ſacrificio olim elapſum in vinculis ſe ſe opponens manibus tenuerit ambabus, quod in ſtatuis, & nummis conſpicitur, quibus cornua deſuper adjecta ſunt,& hæc quidem Appianus,quæ vir doctiſſimus Politianus libro *Miſcellanearum* ſuarum cap. lxxix. comminiſcitur, verba etiam Græca ipſius Appiani apponens: & Cælius Rhodig. *lec. antiq.* lib. xx. cap. xij. meminit. Sed de hac re libet hoc loco carmen jam à me editum, cùm puer eſſem in hanc rem ſubdere, ut clariore exemplo tota res pateat, cur Lyſimachi Regis facies in numiſmatis cornigera:

Lyſimachum capiti cur cornua bina gerentem
Docta manus nummis indicat artificis?
Hac ratione patet, fugiens quia taurus ab aris,
Fregerit invito vincula nexa ſibi.
Magnus Alexander cum ſacra imponeret aris,
Et quia Lyſimachi captus utraque manu.

C.

Digitized by Google

C. JVLII CAESARIS CONSECRATIO.

Conſtantius Landus, Comes, Gabrielli Buccabarillo J. C.

S. D. P.

INTER antiqua plurima numiſmata ærea & argentea, quæ mihi oſtendiſti his diebus, cùm apud te eſſem, illud mihi ſummoperè placuit argenteum, in quo ex una parte erat effictus Elephas, cui ſerpens erectus ad pedes anteriores erat ſubjectus, tanquam ab ipſo Elephante conculcaretur, cum nota hac, CAESAR. ex altera numiſmatis parte apparebant quædam inſtrumenta ſacralia, ſecuris & aſperſorium, cum fictili urnula & pileo vice fungi ac inſtar mitræ. Hæc omnia cùm in numiſmate argenteo pereleganti à me eſſent perſpecta, tibíque quædam dixiſſem ſuper eo nummo, quæ tunc mihi in animum venerunt, pollicitus ſum tibi poſteà omnem hanc hiſtoriam in ſcriptis exponere, ac enarrare, ut cùm illud numiſma tibi occurrerit admirari, undè paſcas oculos literatos, habeas. Háncque meam interpretationem tunc animo verſans, hieroglyphicam hiſtoriam penitus habeas explicatam, & ut incipiam, ſciendum Auguſtum Cæſarem hunc nummum percuti mandaſſe, his inſignibus hieroglyphicíſque inſtrumentis in honorem Divi Julii patris, pontificis maximi, mortui, inter Deóſque relati. Ideóque ità conſecrato pontificalia hæc inſignia, quia Pontifex fuerit, ut narrat Tranquillus, & Elephantem tribuiſſe, qui ſit conſecrationis Symbolum. Elephas ſiquidem religionem habet, qui aſperſus aqua, exortum ſolis motibus, quibus poteſt, ſalutat, ut Plinius lib. viij. cap. 1. & Julius Solinus Polyſtor cap. xxvij. narrant. Refert Suetonius Tranquillus in *Claudio Cæſare*, illum Aviæ Liviæ divinos honores, & circenſi pompa currum Elephantorum Auguſtæo ſimilem decernendum curaſſe, ex quo ſatis conſtat per Elephantes divinos honores Heroibus ſignificari, & apotheoſim deſignari. Subjectum verò Draconem, ſeu ſerpentem Elephanto, quid aliud demonſtrat, quàm reverentiam quandam, & opinionem Divinitatis Cæſari acceſſiſſe? Plutarchus certè in vita Cleomenis narrat, illius poſt mortem viſum Draconem exilientem è tumulo magnum, qui circumplexus cadaver illud totum tegeret, nec ſineret ab avibus



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA

Digitized by Google

avibus depaſci. Cruci enim affixum Cleomenem, qui cuſtodiebant, retulerunt Alexandrinis ſe putare virum divinum fuiſſe Cleomenem, eò quòd è ſepulchro ipſius exeuntem magnum anguem animadvertiſſent. Poſteà ab Alexandrinis creditum magnum Heroem, & Deorum filium Cleomenem, ideò in cœlo receptum. Idem Plutarchus narrat hanc opinionem non prius deſtitiſſe, quàm à ſapientibus viris hujus rei cauſa prodita eſt. *Tradunt enim* (inquit Plutarchus) *ſicut ex bobus Apes, ex equis fuci, ex aſinis crabrones generantur, ita humana corpora, & præſertim medullas, humorémque ex eis profluentem, ſerpentem producere.* Quod & à Servio grammatico proditum extat apud Virgilium. *Itaque non abſque ratione permoti antiquiores Heroibus Draconem conſecrârunt.* Et hæc quidem Plutarchus. Quæ omnia mihi Virgilianum anguem ex Anchiſæ ſepulchro prolabentem in animum reducunt. In v. enim *Æneidos* ſic legitur,

Dixerat hæc: adytis cùm lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit,
Amplexus placidè tumulum, lapſúſque per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro
Squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverſo ſole colores.
Obſtupuit viſu Æneas: ille agmine longo
Tandem inter pateras, & levia pocula ſerpens
Libavítque dapes, rurſúſque innoxius imo
Succeſſit tumulo, & depaſta altaria liquit.

Anguibus etiam cum Elephantis pugna eſt maxima & concertatio, & inimicitia. Nam, ut ait Plinius ſupradicto libro viij. cap. xj. In India magni adeò ſunt ſerpentes, ut circumflexu facili ambiant, nodíque nexu præſtringant Elephantes. Commoritur ea dimicatio, victúſque corruens, complexum ſerpentem elidit pondere. Item c. xij. Iidem ſerpentes obvii deprehenſi, in adverſos Elephantes erigunt ſe, oculóſque maximè petunt. Ita fit, ut plerumque cæci ac fame, & mœroris tabe confecti reperiantur Elephanti. Hinc crediderim ideò in nummo Anguem illum erectum, quíque videtur Elephantem ſuſpicere, fingi hac de cauſa. Sed de Elephante & ſerpente ſatis ſit dictum. Plura enim Plinius dicto libro, & Pierius Valerianus in *Hieroglyphicis* de his animalibus diſſeruerunt. Jam inſignia, quæ à

tergo nummi apparent, quid ſibi velint, videamus. Et illud quidem inſtar fungi & galeæ hieroglyphicum, nihil aliud deſignat, quàm Dialis flaminis pileum, quod Latini, inter quos Feſtus eſt, ita deſcribunt, appellántque *Albogalerum*. De pileo, & velo flaminis Dialis, quem geſtare aſſiduè ſolum flaminem Dialem ſolitum, aliis duntaxat inter ſacra deferentibus, & quem eundem eo indutum fas non fuerat obire mortem, vide Appian. Alexandrinum lib. 1. *bellorum Civilium*. *Albogalerus* à galea nominatus eſt, eſt enim pileum capitis, quo Diales flamines, id eſt, Sacerdotes Jovis utebantur, fiebat enim ex hoſtia alba Jovi cæſa, cui affigebatur apex virga oleagina. Conſtat enim ex Suetonio Tranquillo, in initio vitæ C. Cæſaris, illum flaminem Dialem fuiſſe deſtinatum, fuiſſéque pontificem. Non ineptè aliquis divinaverit Tutulum inſigne capitis flaminicarum fuiſſe, quod in nummo apparet galeatum, ſeu fungi inſtar cum crinibus dependentibus, & cum virga, ſeu apice, & filo, ex quo nomen flaminibus inditum eſt quaſi filaminibus. Vnde Lucanus in primo libro *Pharſal.*

Et tollens Apicem generoſo vertice flamen.

Tutulum autem, cui vitta purpurea innexa crinibus fuerat, ornamentum capitis flaminicæ fuiſſe narrat Alexander ab Alex. in *Genialibus* lib. vj. cap. xij. ubi omnia flaminum & flaminicarum munera ac cæremonias connumerat. Meminit & Gyraldus noſter ſenior in lib. *de ſacrificiis*, Syntagmate xvij. De Tutulo etiam Varro meminit libro *de lingua Latina*, Ennii hunc verſiculum exponens,

Libáque, fictores, Argæos, & tutulatos.

Sed de Tutulo & Albogalero, quod ad numiſma pertinet dictum ſit ſatis: illud non omittentes, quod idem Alexander ab Alexandro memoriæ prodidit, Flaminem cùm per æſtum ferre non poſſet Pileum, ſeu Albogalerum, caput ligaſſe filo, quòd nudo capite incedere fas non liceret, nec die feſto Pileum deponere, etiam ſi æſtus quàm magnus eſſet. Huic etiam ſacra faciendi, & victimas cædendi munus datum erat, ex quo in numiſmate addita eſt ſecuris, quam *ſeceſpitam* vocant: de qua ſic Feſtus Pompejus, & Alexander ab Alexan. lib. *Genialium dierum* iiij. cap. xvij. ubi morem ac cæremonias narrat, quibus uſi ſunt veteres in immolanda Diis victima:

victima: *Seceſpitam alii ſecurim, alii dolabram æneam, alii cultellum putant. Item ſeceſpita cultrum ferreum oblongum, manubrio eburneo, rotundo, ſolido, vincto ad capulum auro, argentóque, fixum clavis æneis, ære Cyprio, quo flamines, flaminicæ virgines, Pontificeſque ad ſacrificia utebantur, dicta autem eſt* ſeceſpita *à* ſecando. Hactenus Feſtus: quem miror in hac deſcriptione omiſiſſe, quemadmodum in acie, ſeu anteriori parte ipſius ſeceſpitæ fuerit efficta hoſtiæ, aut alterius victimæ imago, ſeu capitulum ore patenti, ut in numiſmate eodem ſculptam, atque elaboratam eleganti effigie paſſim videmus. Sed & de ſeceſpita Suetonius Tranquillus in *Tiberio* his verbis meminit, *Inter pontifices ſacrificanti ſimul, pro ſeceſpita plumbeum cultrum ſubjiciendum curavit.* Hic illud etiam quod Alexander ab Alexandro in *Genialibus* recenſet, ſubdidero, cùm ad hanc rem non parum faciat: Alexander libri primi capitulo xxviij. *Lydiæ Reges ſceptri loco ſecurim habuiſſe feruntur, ſicut Labradæus Jupiter in Caria pro ſceptro & fulmine ſecurim ferebat.* Hoc tamen in nummo, abſque dubio, exiſtimo pontificum ac flaminicum fuiſſe inſigne, ſicut & aſperſorium, quod *Aſpergillum* vocat, qui voces Latinas explicat, Ambroſius Calepinus in ſuo dictionario: quo inſtrumento nos aquis ſacris aſpergere ſolemus juxta canon. *Aquam ſale.* de conſecratione, diſtinctione tertia. Ex qua aqua venialia crimina tolluntur, ut diſtinctione quinquageſima, can. in capite quadrageſim. Olim in lege Moſis in veterique inſtrumento ejuſdem *Levitici*, vitulæ cinis aſperſus, mundabat populum, qui mos etiam ad Romanos tranſiit, ut P. Ovidius in *Faſtis* libro 4. his verſibus teſtatur:

Igne cremat vitulo, quæ natu maxima virgo eſt,
Luce Palis populos purget ut ille cinis.

Et in Ezechiele xxxvj. dicitur, *Effundam ſuper vos aquam, & mundabimini ab omnibus immundiciis veſtris & ab univerſis idolis veſtris mundabo vos. Et dabo vobis* &c. & in *Numeris* capitulo decimonono, *qui tetigerit cadaver hominis, propter hoc dies ſeptem erit immundus: ideo aſpergatur de aqua tertia & ſeptima die, & mundabitur:* & *Numer.* viij. *Circunſperges eos aqua purificationis.* Et iterum, *Aqua aſperſionis purificatio eſt.* Quæ omnia in capite, *Nec quenquam.* diſtin. 4. *de conſecratione* referuntur. At in numiſmate

D 2 noſtro,

noſtro, de quo loquimur, fuit aſperſorium ea ſpecie, qua utuntur noſtri Sacerdotes, ac Deorum epulones, cùm vaſculo ſacra lympha illata populum fidelem conſpergunt. Quod præcipuus poëtarum in vj. *Æneidos*, dum Miſeno juſta peraguntur, pulchrè his verſibus expreſſit,

—Ter pura ſocios circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo felicis Olivæ,
Luſtravitque viros, dixitque noviſſima verba.

Et alibi,

—Corpuſque recenti
Spargit aqua.

De qua luſtratione per aquam meminit Alexander ab Alexan. lib. *Genialium dierum* iij. cap. vij. juxta finem. Sed de aſperſorio, quod ex ſetis confectum crediderim: ut in nummo apparet, hæc à nobis dicta ſufficiant. Supereſt nunc ut de ſacrificali vaſculo aliquid dicamus, & quidem (ut mea fert opinio) hæc forma vaſis, quæ eſt in numiſmate mihi potius vas, quod eſt inſtar lucernulæ, in quo ſacra aqua reponeretur, ut populus ea aſpergeretur, fuiſſe videtur. Nam ſi Lazaro Bayphio, qui *de vaſculis* eleganter libellum conſcripſit, credimus, ut viro de re literaria benemerito, & benedocto, idem vas non exiſtimabitur, quod aliqui hoc in nummo volunt fuiſſe ſimpulum ſeu ſimpuvium mavis Numæ, de quo Juvenalis in vj. cùm alia forma ſit hæc, quæ eſt hoc in numiſmate, ab illa, quæ à Bayphio ponitur de ſimpulo, & quam ille effingit eo libro, quo tractat de ſimpulo: quo loco ait etiam à ſe viſam Romæ hujuſmodi formam in antiquo marmore, cum lituo: *ſimpulum* (inquit ille) *eſt vas fictile, quo in ſacris prolibabant ſacrificuli:* de quo Plinius lib. xxxv. cap. xij. ubi dicit, *in ſacris quidem fictilibus prolibabatur ſimpuviis*. At ut proferam, quæ ſentio, memini videre, in aliquibus nummis, ſeu monetis antiquis Julii Cæſaris, eandem formam vaſculi, quam ponit Bayphius in ſuo libello *de vaſculis antiquis:* nempe ſimpuvium unà cum lituo, qui tranſverſalis vaſculo fuerat appoſitus. Hinc ego conjicio, non idem vas eſſe ſimpuvium cum hoc, quod præ ſe fert fictum noſtrum numiſma, de quo nunc agimus, ſed hoc aliud ab illo fuiſſe arbitramur, nempe à ſimpuvio, hoc ad aſpergendam aquam, illud ad prolibandum in ſacris aptum: etiam ſi legi aliquando aquæ pro-

Digitized by Google

prolibatum Diis, & ſi ſcio, nec inficior hæc vaſcula, omnia ad religionem, ac uſum flaminis ac pontificis parata exſtitiſſe, ſpectaviſſéque, non autem ad cædendum Elephantem inſtrumenta, ut quidam malè ſenſerunt: vel ut alii ad munificentiam, ſeu quia Cæſar Dictator Elephantes currui ſuppoſuiſſet triumphator exiſtens, dum Capitolium aſcendit ad lumina quadraginta Elephantis dextra atque ſiniſtra lychnuchos geſtantibus, ut ait Tranquillus, in Cæſare Julio Dictatore cap. 37. vel ut alii, quòd ludis circenſibus Elephantes exhibuerit, ut idem refert Suetonius, vel quia infimæ authoritatis ſcriptores Spartianus & Servius dicant, quòd peregrina lingua nempe punica Elephas *Cæſar* dicatur: ideò Elephantum in nummo poſitum cum nota CAESAR. Sed ut eò, unde digreſſi ſumus revertamur, ſciendum M. Ciceronem (quod etiam ex eo Bayphius refert) in *paradoxis* ſcripſiſſe, Numam uſum fuiſſe in ſacris vaſculis fictilibus, quas vocat *urnulas fictiles* & *capedines:* idem Cicero *de Natura Deorum* lib. iij. *capedunculas* vocat, *Docebo* (inquit) *meliora me didiciſſe, de colendis Diis immortalibus jure pontificio & more majorum, capedunculis, quas nobis reliquit.* Hoc loco illud, quod aliquando in Decretis Pontificum legi, non omittam, *de conſecratione* diſtinc. j. cap. *vaſa.* Interrogatus Bonifacius Martyr ac pontifex, an liceret uti in ſacris libationibus ligneis calicibus, ab illo reſponſum ferunt fuiſſe, *Olim aureos ſacerdotes calicibus ligneis litaſſe, nunc è contrario ligneos aureis uti:* hoc volui hoc loco referre, quia quidam arbitrantur hujuſmodi calices non abſimiles fuiſſe ſimpulo Numæ regis. Quam ſententiam videtur amplecti Alciatus noſter lib. *Parergôn* 7. c. 24. Extat etiam apud me vetus numiſma æreum eleganter elaboratum, cujus ab una parte imago eſt Maximi Cæſaris Germanici cum hac inſcriptione, MAXIMVS CAES. GERM. ab altera autem ſunt inſtrumenta, ſeu inſignia Pietatis in Deos, ibi enim vas anſatum non diſſimile illi quo abluendis manibus in dies utimur. Ineſt etiam Lituus, Augurum ſceptrum, quo illi in cœli regionibus deſignandis ac terminandis utebantur. De lituo lege Plutarchum in vita Romuli. Lituus erat etiam regium inſigne, in quo poteſtas dirimendarum litium eſſe noſcebatur: de quibus omnibus vide quid referat Alexander ab Alex. in *Genialibus* libr. v. capit. xix. quo loco numerum, poteſtatem, ac jus augurum, & quomodo auguria ca-

ptarentur narrat: eſt & in noſtro nummo aſperſorium unà cum vaſculo fictili ſimili illi, de quo ſuprà in Cæſaris Julii nummo loquuti fuimus, & quod nonnulli ſimpulum (ut dixi) credunt fuiſſe aut capedinem, ut ego autem, aquæ aſperſioni congruum vaſculum: ineſt etiam huic meo nummo, ut conjicere potui, forma malluvii, nos *abacillam* vulgò dicimus, quæ nihil aliud mehercule hoc in nummo deſignat, quàm munditiem & puritatem, ac candorem mentis, qui in Deos eſſe convenit, & abſtinentiam à ſordibus, quod alibi à me explicatum fuit, nempè in libro *exercitationum Juris Civilis*, quem ſuperioribus annis edidi, in adoleſcentia adhuc conſtitutus ac penè puer: & de his etiam mentionem egi in interpretatione ſepulchri hieroglyphicis ſignis elaborati præceptoris incomparabilis Andreæ Alciati noſtri: qùam interpretationem propè diem ſum in publicum exhibiturus, ac in lucem miſſurus, cùm à multis hoc opuſculum deſideretur, & ab amicis rogatus ſim quàm plurimis, ut illud edere citius velim, quod facturus ſum potius, ut illis imprimis paream, & videar aliquid amicitiæ tribuere, ne contra bonos mores facere videar: & ut præceptoris dilectiſſimi manibus aliqua ex parte diſcipulus non ingratus ſatisfaciam, quàm quòd ego cupiam has meas incultas ac inelaboratas vigilias legi publicè, non enim iſta ambio, qui ſciam omnem gloriam, ſi quam modò ex his rebus percepturus ſum, ſoli Deo tribuendam eſſe, qui horum & aliarum rerum ſolus author eſt ac largitor ſummus. Debemus enim Deo imprimis, deinde parentibus & præceptoribus, poſtremo amicis, & aliis pietatem. Sed horum ſignorum quæ ad vaſa pertinent, extant & in marmoreis tumulis, ſeu columellis hujuſmodi quàmplurimæ formæ abluendis manibus idoneæ: quæ ſenſu recondito non carent, à nobis tamen juxta veritatem enucleatæ; lib. iij. Græcorum epigrammatum εἰς μεθύσους, extat Græcum epigramma quoddam, incerti poëtæ diſtichon, quo alia ſignificatio vaſculo in tumulo poſito tribuitur hoc ſenſu:

Non levis exanimem pulvis tegit, hoc mihi ſed vas
Signum lætitiæ gratus adeſt tumulus.

Τῆς πλειῆς τόδε σῆμα μαρωνίδος ἧς ἐπὶ τύμβῳ
Γλυπτὸν ἐκ πέτρης αὐτὸς ὁρῇς κύλικα.

Id

Id eſt, *Hæc vetulæ ſunt buſta Maronidos, illius hic eſt*
Quem petræ inſculptum conſpicis eſſe, calix.

Extat etiam non abſimile Antipatri Sidonii carmen.

Sed & alio quodam diſticho innominati poëtæ lib. ij. Græcorum epigrammatum elicitur ſignum lætitiæ fuiſſe vaſculum in tumulo effictum: quo etiam poſt mortem ſperabant vinum guſtativum: hoc carmen ſic tranſtulit ad nos Vrſinus Vellius:

Fictile vas terra factum mihi dulce miniſtra
Qua genitus, rurſum poſt mea fata tegar.

Sed & aliud ibidem epigramma incerti autoris dicto lib. Græcorum ſecundo (ubi inſcribitur ΣΥΜΠΟΤΙΚΑ ΑΣΤΕΙΣΜΑΤΑ) extat, quo loco vaſcula iſta videntur admonere mortales ut vivant, & ut lætitiæ ſe dedant: carmen autem quia elegans multum eſt, ſubjiciam:

Ἡ πτωχῶν χαρίεσσα πανοπλίη ἀρτολάγυνος
Αὕτη, καὶ δροσερῶν ἐκ πετάλων στέφανος,
Καὶ τοῦτο φθιμένοιο προάστιον ἱερὸν ὀστοῦ,
Ἐγκέφαλον ψυχῆς φρούριον ἀκρότατον,
Πῖνε λέγει τὸ γλύμμα, καὶ ἔσθιε, καὶ περίκεισο
Ἄνθεα. τοῖοι γιγνόμεθ᾽ ἐξαπίνης.

Hoc autem ſic vertit in Latinum Vrſinus Vellius,

Pauperis hæc grata eſt cum pane, lagena ſupellex,
Et quæ roranti fronde corona madet.
Hæc quoque ſumma animæ ſedes, tutela cerebri.
Extima defuncti calva retecta viri.
Hæc nos ſculpta monent, cæna, bibe, ſume corollas.
Tales ſupremo ſimus ab interitu.

Non abſimile cecinit Virgilius in Coppa illa ſaltatricula:

Pone merum, & talos: pereat qui craſtina curat,
Mors aurem vellens (vivite) ait venio.

Sed jam ad nummum, de quo loquebamur, è poſtliminio revertamur: erat & aliud quoddam ſigillum, quod propter vetuſtatem nequivimus conjicere, & ſi omnem aciem oculorum & animi intenderimus, quàm maxima adhibita diligentia, excogitantes quid illud eſſet, non deſtitimus etiam hoc ab aliis peritioribus harum rerum ſciſcitari, ut ſciremus, quidnam hoc ſignum eſſet: at nequivimus, quod cupiebamus, ab illis diſcere, cùm & ipſi hac in re ſententiam ferre

ferre timerent incertam: optavimus tandem, ut voto noſtro ſuccederet aliquando, ut tale numiſma aliquod purius, ac quod à rubigine & à vetuſtate minus læſum eſſet, ſe nobis offerret ſincerius, ut conferri utrunque numiſma ac explicari ſimul poſſet, & res tota poni ante oculos ac indicari, prout eſſet, à nobis poſſet. Si tamen in præſentia nobis divinare licet, opinamur aliud fuiſſe augurale ſceptrum, quod in aliquibus C. Cæſaris dictatoris nummis aliquando vidi: nam lituo conſociatur & id inſtrumentum, ſeu ſigillum in ſpeciem longioris haſtulæ ſeu virgæ: in hoc etiam meo nummo eo in latere, quo retuli extitiſſe inſignia religioſæ pietatis, hæc verba circum orbem nummi legebantur, PIETAS AVG. S. C. ex quibus verbis facilè oſtenditur quid ſibi ſigna velint ibidem poſita, de quibus diximus. Hunc autem Maximum in hoc nummo nominatum, illum fuiſſe exiſtimo, qui creditus ſit Pupienus, & quem ſic Julius Capitolinus nuncupatum exiſtimat (ſic enim in alio numiſmate, quod eſt apud Torquatum Bembum P. Bembi filium legi, IMP. CAES. CLOD. PVPIENVS MAXIMVS AVG.) & qui rem contra Germanos ſatis feliciter geſſit, quique miſſus adverſus Maximinum Tyrannum, illum apud Aquileam devicit, hic unà cum Decio Cælio Balbino imperavit, inter quos ſimultas fuit, licet occulta. Hic ſtatim ac imperator factus eſt, unà cum Balbino aſcendit Capitolium, ac rem divinam fecit. Decreti ſunt ei omnes imperatorii honores, & patris patriæ nomen meruit. Fuit etiam pontifex maximus, inſignibus tribunitiæ poteſtatis, & jure conſulari decoratus: non immeritò igitur ſi in nummo ſunt religionis inſignia, ac inſtrumenta pontificalia. Quis verò fuerit Maximus, & quali corporis habitu, id ex Julio Capitolino, & Herodiano, authore Græco, qui ambo hujus imperatoris hiſtoriam perſecuti ſunt, facilè cognoſci poteſt. Ne hic ego dum ſolùm unum numiſma interpretari conſtituo, duo explicem præter rem inſtitutam, cùm nunc gravioribus negotiis impeditum ad alia me tranſire cogat temporis anguſtia, quod aliàs opportunius fortè rem ad explicandam concedat largiſſimè. De his igitur ſatis, tu intereà, mi Gabriel Buccabarilli, hæc qualiacunque nunc non aſpernaberis, cùm à tetricis ſtudiis legum vacabis: cum etiam à me tui amantiſſimo proveniant, & ab eo, qui omnia tibi bona cupiat. Vale & me ama. xj. Cal. Septembris M. D. LVII. Placentiæ ex ædibus noſtris.

SCRI-

ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

SCRIBONIS LIBONIANI PVTEAL.

ARGENTEVM nummum aliquando vidi apud civem meum Joannem Bartholomæum Pandollam ſeniorem, & filium ejus Tyberium, cujus ex una parte extabat Libonis Scriboniani imago his verbis cælata: LIBO BON. EVENT. In altera verò tribunal, ſupra quod eſt PVTEAL. infrà verò, SCRIBON. In alio nummo Argenteo, quem mihi oſtendit Raphael Leonas Papienſis, fuit ex una parte ſigillum Pietatis cum his verbis. PAVLLVS LEPIDVS CONCORDIA. in alia fuit putealis figura in formam putei, cum his notis, PVTEAL SCRIBONI LIBO. Livius lib. IX. decadis tertiæ de Lucio Scribonio Libone his verbis meminit*, *Prætores creati ſunt T. Claudius Nero, M. Martius Ralla, L. Scribonius Libo, M. Pomponius Matho*, & paulò pòſt: *Prætoribus M. Martio Vrbano, L. Scribonio Liboni peregrina, & eidem Gallia. M. Pomponio Matthoni Sicilia, Tito Claudio Neroni Sardinia.* Situm autem fuit tribunal Libonis prætoris *Puteal* dictum, ad arcum Fabianum, qui arcus fuit juxta templum Fauſtinæ, de quo Puteali meminit Horatius hunc in modum lib. I. *epiſtolarum* ad Mecœnatem:

— Forum Putealque Libonis
Mandabo ſiccis: adimam cantare ſeveris.

Et Ovidius lib. *de remedio Amoris* 2.

Qui puteal, Janumque timet celereſque calendas.

Fœneratores enim ſtabant ad Janum, & apud fornicem Fabianum jus dicebatur, de quo arcu meminit Cicero in *Plancio*, & in *Verrinis*, & ibi Aſconius Pædianus: fuit etiam judicium putei apud Romanos, ex quo forte *puteal* dictum, in eo loco cauſæ homicidiorum involuntariorum controvertebantur, qui locus in comitio fuit, ut eſt auctor Dionyſius Halicarnaſſeus lib. *de antiquitatibus Romanorum*, ubi de Actii Navii ſtatua, quæ capite erat velato, agit. Ariſtoteles lib. IV. *Politic.* capite XVI. ubi de judiciis & ſpeciebus judiciorum tractat, de judicio ad multam putei, ut Athenis dicitur, mentionem facit. Pauſanias in *Atticis* de judiciali puteo meminit his verbis: *in Piræeo ad mare eſt Phreattis*, hoc eſt, *puteus. Qui huc confugiunt, ſi digreſſis ipſis aliud crimen impingatur, è navi ad auditores in continente ſtantes cauſſam ſuam agunt. Teu-*

crum primum ferunt in hunc modum ſe excuſaſſe Telamoni, ſe ad Ajacis cædem nihil contuliſſe: quòd genus judicii à Græcis ad Romanos poſtea manaſſe exiſtimo: ex Athenienſium enim legibus Romani multa ſuſtulerunt, nedum mores. Hinc crediderim Scribonium ſuum nummum percuſſiſſe nota putei, ſertis coronati cum duabus ſitulis ab utroque latere appenſis, ut oſtentaret locum ubi cauſæ tractabantur, ipſum judicem prætorémque fuiſſe cauſarum. Hinc etiam crediderim familiam Puteorum, quæ hodie in Italia eſt celebris, & præcipuè Placentiæ eſt clara & nobilis, nomen originémque ſuam traxiſſe. Habebunt igitur Julius Cæſar, Petrus Marius, & Æmilius fratres tres ex familia Puteorum adoleſcentes nobiles, unde ſuam antiquitatem tueantur, ſi hujus vetuſtiſſimi nummi ſculpturam & ſigillum adduxerint: cùm & ipſorum ſtemma gentilitium ſit Puteus, ſeu forma Putei, quem duo leones rectis pedibus in planitie aurea amplectuntur. Apud Strabonem lib. xvj. *Geograph.* eorum ſit mentio de venatione Elephantorum ad Puteum his verbis, *Vlterius eſt urbs Darabam & Elephantum venatio, quæ ad puteum nominatur,* &c. De Tito Scribonio Libone Ædili curruli meminit Aſconius Pædianus in oratione Ciceronis pro Cornelio: quòd ex utroque latere putei in nummo ficti, appenſæ ſint veluti duæ ſitulæ: Sorticulas duas fuiſſe puto, ſeu urnulas, ciſtellásve, ex quibus ſortes ſuas judices apud prætores exciperent. Hujus moris meminit Pædianus in argumento divinationis Ciceronis his verbis, *In divinatione, & in aliis majoribus univerſi judices in ciſtam tabulas ſimul conjiciebant ſuas, eaſque inſculptas literas habentes, abſolutionis ſive condemnationis, cùm de alicujus capite agebatur, N. & L. ampliationis. His enim literis ſignificabant,* Non liquere: quod & alibi à Pædiano dicitur: illud & à Pædiano refertur dignum annotatu: *Moris fuiſſe celebrata judicum rejectione, & haberi in officio prætoris, & in arca reponi nomina judicum delectorum: rejectio ideo dicitur, quia cùm multi judices in conſilium à prætore ſuo judicandi eſſent, qui quæſtor fuiſſet publica cauſa (verbi gratia repetundarum, ambitus, majeſtatum) neceſſe fuerat eos primùm de curia Senatoria conſcribi cum Senatus judicaret: deinde in urnam ſortito ſeu ſortitio mitti, ut de pluribus neceſſarius numerus confici poſſet. Tertiò, id eſt, poſt urnam permitti accuſatori ac reo, ut ex illo numero rejiciant quos putaverint ſibi, aut inimi-*

inimicos, aut ex aliqua re incommodos fore: ſolet autem ex moribus ac fama judicum, ex illorum, quos aut rejiciebant aut retinebant Jud. voluntate conjecturam facere populus, qui cauſæ ſuæ confidere, qui corrumpere judices vellet, rejectione celebrata, & in eorum locum, qui rejecti fuerant ſub ſortito prætore, alios, quibus ille judicum legitimus numerus compleretur ſufficere. Prima enim ſortitio dicebatur, his perfectis jurabant in leges judices, ut obſtricti religione judicarent: cùm juraſſent omnes præter ipſum prætorem, nomina eorum libellis (ut ſupra diximus) continebantur, & ubique habebantur, ne pro ſelectis judicibus, ut fit in multitudine, aliqui ſuppoſiti corruptiſſimi judicarent, itaque & prætoris tribunal, ut conſiderent indicatur prætori ſuo. Hactenus Pædianus: à quo quemadmodum fieret ſortitio judicum intelligi poteſt. Nec tantùm in ciſtella ſortitiones fiebant, ſed etiam ſacra, ut Tibullus poëta lib. 1. eleg. vij. ubi laudes Bacchi dicit, canit:

Et levis occultis conſcia ciſta ſacris.

Quod autem ſit in nummo hoc BON. EVENT. ſignificat Bonum eventum, de quo Plinius lib. xxxiiij. cap. viij. his verbis meminit: *Euphranor mirus artifex ſimulachrum Boni eventus ita finxit Romæ: Dextera pateram, ſiniſtra ſpicam, ac papaver tenens.* Hoc nummo ante poſitus, quòd ſignificet, (pûto) Libonem Bono eventui hoc puteal dedicaſſe, vel aliud quid ſimile deſignare: quòd verò aliqui dicant duas utrinque lyras appenſas fuiſſe huic puteo, id nondum comperi vel in aliquo nummo, nec quòd illam deſignet concordiam. Sed jam ſatis à nobis dictum ſit in hoc numiſmate, ſuperioribus annis, cùm eſſem Patavii, de hoc numiſmate plura ad Franciſcum Robortellium, virum doctiſſimum ſcribens egerim: ubi etiam locum Claudii Saturnini Juriſconſ. in titulo *de pœn.* Pandectôn lib. xlviij. ex lib. iij. *Politicôn* Ariſtotelis, & Pauſaniæ lib. 1. *Atticorum* enarravi: ſed quòd ſignificet Malleolus infra puteum deſignatus, nondum comperio: niſi quod gravitatem ac pondus rerum, quæ in judicio tractantur declarat: vel etiam ſecuris eſſe poteſt qua nocentes cæderentur: vel clava, quæ & ſecuris dici poteſt: quod præſignet ſceptrum prætoris: vel hic malleus, quo cæderentur hoſtiæ, ſignificare poteſt. Nam Alexander ab Alex. lib. 4. cap. xvij. *Genial. dier.* narrat Romanos multaſſe hoſtias malleo: vel quòd juſtè judex ſenten-

Digitized by Google

tiam ſuam referre debeat, non magis ab hac parte, quàm ab alia deſcendens: ſed grave iniens conſilium ſibi conſtare debet, nec ſententias præcipitare. Quemadmodum Caſſiodorus lib. vj. *Variarum* de conſule refert: quod faſces atque ſecures illigatas ideò geſtaret, ut cùm illi tardius ſolverentur, moram deliberationis acciperet: ſi de cæde aut nece hominis aliquid cenſuiſſet, ita ut cùm omnia ejus traderentur arbitrio, ne inſoleſceret animo. Nos hæc veriſimilia, non autem certa hoc loco, quæ de malleolo loquimur, afferimus. Siquis alius certiora aut meliora nobis attulerit, illi non modicum gratulabimur. Cùm hæc ſcriberem, allatum eſt mihi opus varia lectione jocundum Joan. Pierii Valeriani *de literis hieroglyphicis Ægyptiorum*, quo libro aperto, ac lecto quædam de malleo ibi ſcripta reperi, hunc in modum, MALORVM IRRITAMENTVM. Inquit enim, *ille videtur Malleus pro malorum irritamento accipi, arma ſiquidem & pugiones, cuſpides, & cultros malleus excudit: unde mala tot in mortales oboriantur, eo etiam fiunt tubæ ductiles, per quarum clangorem animemur in bellum, eo franguntur opera, & quæ ſolida ſunt conteruntur*. Hactenus Pierius: ſed ut mihi videtur, quæ parum ad noſtrum numiſma faciant: videat modo diligens lector & antiquitatis amans, num melius referri poſſit ad id, quod refert Ficinus in Timæum, Pythagoram ſcilicet, cum apud ærarios fabros annotaviſſet ex malleorum ictibus conſonantiam lege ponderum provenire, collegiſſe numeros, quibus ſibi conſentiens diverſitas ponderum continebatur: & hanc quidem eſſe veriorem hujus numiſmatis de malleo expoſitionem exiſtimo. Nam cùm litium ad hunc puteum apud prætorem Libonem cauſæ decernerentur, neceſſe erat illas tandem in quandam reſolvi conſonantiam, & ad concordiam ex diffidentia partium jure ipſo decidente lites, perduci ac pervenire. Nimirum ſi alio in nummo PAVLI LEPIDI ſcilicet, ubi verba ſunt *Liboni Scribon. Puteal.* illæ inſint & literæ: nempè CONCORDIA. & hæc in hoc nummo ſatis.

CA-

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

CAPRICORNI AVGVSTI NVMISMA.

IN numiſmate Auguſti extat imago Capricorni cum his notis, AVGVSTVS. Auguſtus, ut inquit Alexander in *Genialibus* lib. iiij. cap. xv. ubi de variis numiſmatum notis apud veteres recenſet, Syderis Capricorni nota, ſub quo in lucem æditus erat, argenteum nummum percuſſiſſe dicitur, ad quod alluſiſſe videtur Maro in *Georgicis* lib. 1. illo carmine,

Anne novum tardis ſydus te menſibus addas.

Illud etiam apud Virgilium indictum non ſinam, poſtquam non tædet nos tibi ò lector, morem gerere in his, quæ ad literas & ſtudia literarum pertinent: cùm igitur Virgil. illud carmen affert,

An deus immenſi venias maris: ac tua nautæ
Numina ſola colant, &c.*

Sciendum quod ſcribit Plin. lib. *Natural. hiſtor.* ix. c. xvj. *de augur. & piſcium diver.* quòd *Siculo bello ambulante Auguſto in littore, piſcis è mari exiliit & ad pedes ejus jacuit: quo argumento vates ſpondere Neptunum patrem adoptato ſibi Sex. Pompejo (tanta erat rei navalis gloria) ſub pedibus Cæſaris futuros, qui maria tempore illo tenerent.* &c. quam rem & Suetonius Tranquillus in ejus vita recenſet: ut & de Capricorno idem Tranquillus his verbis, ut tota res liquidò conſtet: *In ſeceſſu* (inquit) *Apolloniæ Theogenis mathematici pergulam comite Agrippa aſcenderat: cùm Agrippæ, qui prior conſulebat, magna & penè incredibilia prædicerentur, reticere ipſe genituram ſuam, nec velle edere perſeverabat: metu, ac pudore, ne minor inveniretur, qua tamen poſt multas adhortationes vix & cunctanter edita, exiluit Theogenes, adoravítque eum: tantam mox fiduciam fati Auguſtus habuit, ut ſchema ſuum vulgaverit, nummúmque argenteum nota ſyderis Capricorni, quo natus eſt percuſſerit.* Et hæc quidem Suetonius: ubi te admonitum volo in omnibus codicibus Suetonii pro *ſchemate* aut *ſtemmate* (legas utrum volueris) mendoſè, *thema* ſcriptum eſſe. Sic in lege penultima ff. *de gradibus cognationum*, ſubeſſe mendam admonuit noſter Alciatus Præceptor maximus lib. *parergôn.* ij. cap. xxx. ubi ex fide veterum codicum pro *ſtemmatibus ſchemata* legendum arbitratur. Nam veteres (ut inquit ille) pro ipſa graduum, ut ita loquar, arbore, cum imagi-

 nibus

nibus ſuis locis appoſitis id nomen accepère. Plinius libro xxxv. cap. iij. *ſtemmata lineis diſcurrebant, ad imagines pictas*, & reliqua quæ eo loco doctiſſimè (ut ſolet) ſcribit ille. Sed ut de ſigno Capricorni, quod in cœlo extare ſydus creditur, nonnulla ex authoribus annotem, hîc, quæ Julius Firmicus lib. iiij. *Matheſeos* refert, apponam, qui ſic ait, *Si quis medium cœlum in Capricorno habuerit, erit multis quotidianæ vitæ alimenta ſuppeditans. At ſi in horoſcopo aliquibus vitæ alimenta præſtiterit, ipſi ei exiſtent ſemper ingrati: dicitur etiam Capricornus domus Saturni & Martis exaltatio, ut illud apertè detur intelligi, liberalitatem inter avaritiam & prodigalitatem conſtitui, amborúmque complexione conflari.* Macrobius in ſomnio Scipionis, Capricornum dixit portam eſſe deorum, qua ſcilicet animæ immortalitate veſtiendæ ingrediuntur: per hoc igitur ſignum liberalitas demonſtratur. Nam Capricornus xxij. ſyderibus integratur, cujus numeri ratio ſpeculantibus liberalitatem offert: quin & Capricorno genua tribuuntur, ut eſt apud Manilium hoc verſu ſcriptum,

Capricornus utriſque imperat in genibus.

Vide apud Niphum Sueſſanum lib. 1. *de augur.* & P. Crinitum lib. xj. *de honeſta diſciplina*, cap. ij. & de his hactenus.

CONSTANTIVS LANDVS COMES AEMILIO PVTEO SVO S. P. D.

MISISTI his diebus proximis mihi nummum æreum adeò antiquum, ut vix à me propter vetuſtatem legi potuerit, corroſis enim omnibus literis penè Delio natatore indigere videbatur, quod magis eſt, ne quidem ulla veſtigia, cujus eſſet imago, apparebant. Ego tamen omnem ingenii & oculorum aciem, ut tibi in hoc placerem, intendi, quòd ſi in aliquo peccabimus, in errorémve (quod in his rebus facillimè evenire poteſt & ſolet) inciderimus, tu mihi hoc totum, quod à me erratum fuerit, condonabis, id enim tento nunc, ut potius tibi mei amantiſſimo amico, ac tanquàm fratri inſerviam, ac gratum faciam, quàm quòd velim oſtentare ingenium meum, quod tenue ac imbecille eſt. Tu igitur, mi Æmili, hoc qualecunque breve ſcriptum

in

Digitized by Google

OTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

in tuum numiſma ſcholium boni conſule. Si meliora poſthac memoriæ ſuccedent, ad te mittemus: hæc igitur lege.

GERMANICI CAESARIS NVMISMA.

IMAGO illa, quæ vix apparet in æreo nummo, Germanici Cæſaris ac Imperatoris extat, ut conjicere ex ipſis nutantibus literis potuimus, quæ ſic à nobis leguntur, GERMANICVS CAESAR TI. AVG. F. DIVI AVG. N. in tergo autem ſic legimus, CAESAR AVG. GERMANICVS PON. M. TR. P. S. C. & ut aliquid de hoc Cæſare dicere incipiam. Sciendum in primis eſt hunc Germanicum Cai Cæſaris patrem, Druſi filium fuiſſe, & Antoniæ junioris, & à Tiberio Cæſare patruo, Auguſti juſſu adoptatum, ut inquit Suetonius in *Caligula*, quod & Juſtinianus Cæſar legiſlator in *elementis Inſtitutionum* lib. 1. cap. *de adoptionibus*, narrat his verbis, *ſic Divus Auguſtus non ante Tiberium adoptavit, quàm is Germanicum adoptaſſet, ut protinus adoptione facta, inciperet Germanicus Auguſti nepos eſſe.* Quinquennio antè, quàm per leges liceret, & pauló pòſt conſulatum geſſit, ut idem Suetonius narrat, miſſúſque ad exercitum in Germaniam, exceſſu Auguſti nuntiato, legiones univerſas imperatorem Tiberium pertinaciſſimè recuſantes, & ſibi ſummam Reipublicæ deferentes, incertum conſtantia, an pietate majore, compeſcuit: atque mox devicto hoſte, triumphavit. Conſul deinde iterum creatus, ac priuſquàm honorem iniret, ad componendum Orientis ſtatum expulſus, cùm Armeniæ Regem deviciſſet, Cappadociam in provinciæ formam redegiſſet, annum ætatis agens quartum & trigeſimum, diutino morbo Antiochiæ obiit, non ſine veneni ſuſpicione. Nam præter livores, qui toto corpore erant, & ſpumas, quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter oſſa incorruptum repertum eſt: cujus ea natura exiſtimatur, ut tinctum veneno igne confici nequeat. Obiit autem Germanicus (ut aſſerit idem Tranquillus) Tiberii fraude (ut opinio fuit) miniſterio & opera Gnei Piſonis. Omnes autem Germanico corporis, animíque virtutes, & quantas nemini cuiquam contigiſſe ſatis conſtat: formam, & fortitudinem egregiam: ingenium in utroque eloquen-

Digitized by Google

quentiæ, doctrinæque genere præcellens: benevolentiam ſingularem, conciliandæque hominum gratiæ, ac promerendi amoris nimium, & efficax ſtudium. Oravit cauſas triumphales, atque inter cætera ſtudiorum monumenta, reliquit & comœdias Græcas. Habuit in matrimonio Agrippinam M. Agrippæ & Juliæ filiam; & ex ea novem liberos tulit: ſed hæc jam de Germanici vita ſatis. Suetonium enim legere, mi Aimili, per te poteris, qui de hoc alia quædam præclara refert, & ſi me amas, omnino leges: digna enim ſunt hujus optimi Cæſaris omnia geſta, ut legantur. Sed in numiſmate illud animadvertendum, in poſteriori parte, quòd Germanicus non fuit Auguſtus, non enim ſucceſſit in imperio poſt Octavianum Auguſtum: nec Germanicus Auguſtus unquam fuit dictus, apud quem ſumma Reipublicæ deferebatur. Nam Germanicus nunquam dominationem aſſumpſit, & ſi pertinaciſſimè in exceſſu Octavii Auguſti, legiones recuſantes Tiberium, Germanico deferre vellent. Solo itaque Imperatoris nomine decoratus fuit Germanicus, ut etiam Alciatus ſenior in annotationibus in Cor. Tacitum obſervavit, qui inter Cæſares, Imperatores, & Auguſtos multum interfuiſſe differit: hoc pacto, *Cæſares dicti, qui Auguſtæ majeſtatis hæredes deſignati eſſent, adminiſtratione rerum illis interdicta, niſi fortaſſe provinciam, Auguſti juſſu, adminiſtrandam haberent. Hinc nulla eis donativi militibus dandi facultas erat. In comitatu eos ſolùm habebant, quos princeps tribuiſſet. Paulò major Imperatoris dignitas, qui licet infra Auguſti faſtigium poſitus, ejúſque arbitrio bella gereret, ſummam tamen poteſtatem in magiſtratus, atque milites habebat, júſque illi indicendi belli erat.* Hæc Alciatus ex Ammiano, Lampridio, & conſtitutionibus, cujus rei idem in *hiſtoria patriæ* meminit. Quæ volui dixiſſe, ut tibi conſtet Germanicum non vocatum fuiſſe Auguſtum, niſi concedamus illi fuiſſe hoc nomen ab Auguſto Octaviano conceſſum, quia illum valde Octavianus dilexerit, ut etiam diu cunctatus ſit, an ſibi ſucceſſorem deſtinaret: ideo Tiberio adoptandum dederit. Verius igitur in numiſmate ego legerem, interpretaréque quòd illæ notæ, *Cæſar Auguſtus Germanicus, Pontifex Maximus, Tribunus Plebis*, ad Cajum Caligulam ipſius Germanici filium, qui poſt defunctum Tiberium in imperio ſucceſſerit, ſpectent: nam & ipſe *Germanicus* vocatus fuit. *Germanicus* autem dictus ob Germaniam devictam:

Digitized by Google

victam: vel quia primus ad exercitum, qui in Germania conſtiterat, imperator miſſus fuerit. Huic P. Ovidius Faſtorum ſuorum libros conſecravit, ut ex his primis carminibus apparet,

Accipe pacato, Cæſar Germanice, vultu
Hoc opus, & timidæ dirige navis iter.

Illud autem ſciendum Septembrem menſem Cajum Caligulam in memoriam patris Germanici, Germanicum appellaſſe. Feſſum autem morbo Germanicum adſiſtentes amicos hunc in modum adloquutum fuiſſe refert Cor. Tacitus lib. ij. *Si fato concederem, juſtus mihi dolor, etiam adverſus Deos, eſſet, quòd me parentibus, liberis, patriæ intra juventam præmaturo exitu raperent. Nunc ſcelere Piſonis & Plancinæ interceptus ultimas preces pectoribus veſtris relinquo, referatis Patri ac Fratri quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus inſidiis circumventus miſerrimam vitam peſſima morte finierim, ſi quos ſpes meæ, ſi quos propinquus ſanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat inlachrymabunt, quondam florentem, & tot bellorum ſuperſtitem muliebri fraude cecidiſſe. Erit nobis locus querendi apud Senatum, invocandi leges. Non hoc præcipuum amicorum munus eſt, proſequi defunctum ignavo queſtu: ſed quæ voluerit meminiſſe, quæ mandaverit exequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti. Vindicabitis vos ſi me potius, quàm fortunam meam fovebatis. Oſtendite Populo Romano Divi Auguſti neptem, eandémque conjugem meam. Numerate ſex liberos: miſericordia cum accuſantibus erit, fingentibúſque ſceleſta mandata, aut non credent homines, aut non ignoſcent:* hactenus amicos adlocutus Germanicus. Juravêre amici, dextram morientis contingentes, ſpiritum antè, quàm ultionem amiſſuros. Tum ad uxorem verſus, per memoriam ſui, per communes liberos oravit, exueret ferociam, ſævienti fortunæ ſummitteret animum, non regreſſa in urbem æmulatione potentiæ, validiores incitaret. Hæc palàm & alia ſecretò, per quæ oſtendere credebatur metum ex Tiberio. Neque multò poſt extinguitur ingenti luctu provinciæ, & circunjacentium populorum, indoluêre exteræ nationes, regéſque, tanta illi comitas in ſocios, manſuetudo in hoſtes, viſúque auditúque venerabilis, cùm magnitudinem & gravitatem ſummæ fortunæ retineret, invidiam & adrogantiam effugerat. Funus ſine imaginibus & pompa: per laudes & memoriam virtutum ejus

F cele-

Digitized by Google

celebre fuit: & erant qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adæquarent. Nam utrunque corpore, genere inſigni, haud multum triginta annos egreſſum, ſuorum inſidiis externas inter gentes occidiſſe. Sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egiſſe: neque minus præliatorem etiam ſi temeritas abfuerit, præpeditúſque ſit perculſas tot victoriis Germanias ſervitiis premere: quòd ſi ſolus arbiter rerum, ſi jure & nomine regio fuiſſet, tanto promptius adſecutum gloriam militiæ, quantum clementia, temperantia, cæteris bonis artibus præſtitiſſet. Corpus antè, quàm cremaretur nudatum in foro Antiochenſium, qui locus ſepulturæ deſtinabatur, prætuleritne veneficii ſigna parum conſtitit: nam ut quis miſericordia in Germanicum, & præſumpta ſuſpicione, aut favore in Piſonem pronior diverſi interpretabantur, &c. Quæ ſequuntur, apud Cor. Tacitum, cujus verba hic etiam volui ſcripſiſſe, ut qualis fuerit Germanicus & quantus cognoſceres, utque longiori vita dignum imperatorem, támque optimis literis inſtitutum Cæſarem pluſculum amares: dignúmque, ut etiam ipſe de ſe dixit, ut ignoti ejus obitum defleant. Sed jam ejus virtutis & altitudinis ingenii memoriam adhuc in libris florentem, quæ quodam epigrammate Græco pro teſtimonio libro Græcorum epigrammatum primo extat, hic tibi ſubſcribamus, ut inclytam virtutem nepotis divi Auguſti ames, & venereris, ſimúlque imiteris. Hæc enim exempla ad excitandam, & inflammandam juventutem noſtri temporis mirum in modum congrua ſunt, cùm & juvenis alicujus principis & nobilis perſonam laudatóſque mores, probatámque vitam, & optimè inſtituti adoleſcentis, ſtudiiſque bonarum artium ornati repræſentamus indolem. Sic Joannis Pici Mirandulani principis ac comitis, cujus imago pulcherrima in muſæo noſtro nos quotidie exuſcitat ad bonas capeſcendas literas, ad ſtudia literarum inflammare juventutem poteſt. Sic his temporibus Manavus Sabellus, Hieronymus Querceus, ſic Baro Sfondratus, ſic Trivultius Georgius. Sic & alii nobiles juvenes, de quorum virtutibus, & ſtudiis ubique eſt fama conſentiens, & quæ jam totam perambulat Italiam. Sed quid ego nunc currenti calcar addere ſtudeo? cum jam urbis Placentinæ omnes adoleſcentes nobiles aſſiduo ſtudio, exercitióque

Digitized by Google

citióque diſciplinarum non ignobili Aimilius Puteus ingenio miro præditus non æquare ſolùm, ſed ſuperare credatur. Hoc igitur epigramma Græcum Germanici elegantiſſimum, ac perargutum ſi à juris civilis ſtudio vacabis legito:

Γερμανικοῦ Καίσαρος.

Οὔρεος ἐξ ὑπάτοιο λαγὼς πέσεν ἐς ποτε βένθος,
Ἐκπροφυγεῖν μεμαὼς τρηχὺν ὀδόντα κυνός.
Ἀλλ' οὐδ' ὡς ἤλυξε κακὸν μόρον. αὐτίκα γάρ μιν
Εἰνάλιος μάρψας, πνδύμαλος ἠφάνισεν.
Ἐκ πυρὸς ὡς αὐτῶς πέσες ἐς φλόγας. ἦ ῥά σε δαίμων
Κἢν ἁλὶ, κἢν χέρσῳ, θρέψε κυνέεσσι βορήν.

Τοῦ αὐτοῦ.

Ἐκ κυνὸς εἷλε κύων με. τί τὸ ξένον; εἰς ἐμὲ θῆρες
Ὑγροὶ, καὶ πεζοὶ, θυμὸν ἔχουσιν ἕνα.
Αἰθέρα λοιπὸν ἔχοιτε λαγοὶ βατόν. ἀλλὰ φοβοῦμαι
Οὐρανὲ, καὶ σὺ φέρεις ἀστερόεντα κύνα.

Senſus autem eſt de lepore, qui canem effugiens venaticum, & in mare prolapſus, à cane marino diſcerptus eſt. Ad hoc ſic alluſit Auſonius Gallus poëta,

Trinacrii quondam currentem in littoris ora:
Ante canes leporem, cæruleus rapuit.
At lepus: In me omnis terræ pelagique ruina eſt.
Forſitan & cœli, ſi canis aſtra tenet.

Aſt videamus etiam aliud Epigramma in laudem Germanici, ut hoc numiſma tuum etiam locupletiore lectione exornemus, teſtimonióque Græcorum poëtarum gloriam illuſtriſſimi viri augeamus.

Εἰς Γερμανικὸν Βάσσου.

Οὔρεα Πυρηναῖα, καὶ αἱ βαθυάγκεες Ἄλπεις,
Αἳ Ῥήνου προχοὰς ἐγγὺς ἀποβλέπετε,
Μάρτυρες ἀκτίνων, Γερμανικὸς ἃς ἀνέτελλεν,
Ἀστράπτων Κελτοῖς πουλὺν ἐνυάλιον,
Οἳ δ' ἄρα δουπήθησαν ἀολλέες. εἶπε δ' Ἐνυὼ
Ἄρει, τοιαύτης χερσὶν ὀφειλόμεθα.

Hoc autem epigramma in Germanicum Druſi filium eſt ſcriptum, cujus ſenſus talis eſt (ut Opſopoeus vertit) alloquitur poëta montes Pyrenæos, & Alpes, tanquàm teſtes virtutis & fortitudinis ejus, per montes Pyrenæos Galliam intelligit: per Alpes Germaniam innuit. Et eſt hoc carmen omni ex parte elegantiſſimum. Et hæc jam ſatis & ſuper ſint ad numiſma tuum (mi Aimilî Putee) explicandum, à me dicta. Quæ tu, utcunque ſunt, boni conſules, laborémque noſtrum, propenſamque meam in te voluntatem amabis. Vale pridie Calend. Februar. M. D. LVI. Ticini, & Jovio tuo me commenda.

PAVLLI LEPIDI CONCORDIA.

BERNARDINVS Locheta Papienſis, impreſſoriæ artis magiſter diligens, amicúſque meus, attulit his diebus cùm Ficini eſſem, mihi tres argenteos nummos veteres, illos quidem pulcherrimos, quique adeo illucebant, irradiabantque, ut nuper cuſi viderentur. Hos ego cùm manibus meis verſarem incredibili voluptate, illud primum occurrit, quod in uno ex his dignum annotarem: nempè verbum, ſeu nomen *Paulli*, quod contra vulgi opinionem ſcriptum eſſet duplici longa litera. Erat autem in numiſmate imago Paulli Lepidi cum galea in capite, in una parte hac inſcriptione, PAVLLVS. LEPIDVS CONCORDIA. in altera numiſmatis parte fuit Trophæum, cui vir applicabat manum, erant & ibi tres imagines perſonarum, grandior una cum duabus puſillis hac nota, TER. in alio nummo argenteo, quem mihi oſtendit percolendus Raphael Leonas Papienſis, regularium canonicorum ordinis ſeu congregationis Lateranenſis, fuit in altera parte PIETAS, cum his verbis, PAVLLVS LEPIDVS, CONCORDIA. in alia parte putealis forma, cum his notis, PVTEAL SCRIBON LIBO Vide Plutarchum in vita Paulli Æmilii. Quòd autem *Paullus* duplici longa litera apud veteres ſcriberetur, elegans menſa marmorea Mediolani ad Babile Vrſiorum Templum adhuc indicat hoc pacto inſcripta, P. VRSIO SEX. F. POLLIONI PATRI VETTIAE LEPIDAE MATRI P. VRSIO P. F. PAVLLO V-I. VIR. IVN. FRATR. CVR. AER. P. VRSIO ELAINO. L. PIISSIMO

VRSIA



Digitized by Google

...IOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google

VRSIA P. F. PRISCA. Hunc tumulum in elogiis ſuis Alciatus noſter inſeruit, ubi etiam dictionem *Paulli* animadvertit, ideo nos lubentius hìc adduximus eundem tumulum, ut videant Antiquarii quàm bellè conveniant inter ſe numiſmata, & marmora veterum. Idem Alciatus in expoſitione hujus tumuli à me citati, refert, à ſe obſervatum fuiſſe *Paullum* cum duplici longa litera ſcribi in Pomponii Læti autographis. Sed quòd in hoc numiſmate ſit Paulli Lepidi mentio, puto fuiſſe Marcum Æmilium Lepidum & L. Æmilium Paullum, qui ambo conſules fuerunt, & prætores, ut in tertia, & quarta, & quinta Dec. apud Livium legimus. Lucius autem Æmilius Paullus fuit Marci Æmilii Lepidi filius ut teſtis eſt idem Livius lib. x. Decad. iiij. Paullus hujus L. Paulli filius, ut Plutarchus in vita Paulli Æmilii narrat, de Luſitanis triumphavit, nécnon de Perſa rege, ut aſſerit Val. Max. lib. 1. *de ominibus*: qui refert eundem Paullum habuiſſe filiam parvulam nomine Tertiam, quæ cùm catellum nomine Perſam mortuum deploraret, omine arrepto ſtatim erectum in ſpem clariſſimi triumphi eundem Paullum. Vide Plutarchum in vita Paulli Æmilii, & Ciceronem in libris *de Divination.* Marcus autem Æmilius Lepidus creatus fuit Pontifex, cui fuit ſimultas cum M. Fulvio Flacco Nobiliori, quòd M. Lepidus diceret ſe à Fulvio certo conſulatu dejectum, Q. Metellus Cæcilius verba fecit inter principes Senatorum, quæ Livius narrat lib. x. Decad. quartæ. Quibus verbis excitati ad Concordiam dextras fidémque dedere, mittere verè ac finire odium. De hac re etiam Aulus Gellius meminit *Noc. Atticarum* lib. xij. cap. viij. poſtea collaudantibus cunctis hoc factum, ambo deducti ſunt in Capitolium. M. Æmilio Lepido, qui bis conſul augúrque fuit, ut Livius lib. 3. decad. 3. meminit, filii tres, Lucius, Marcus, Quintus, ludos funebres per triduum & gladiatorum paria duo & xx. per triduum in foro dederunt. Quod autem in nummo ſit *(concordia)* referri poteſt ad pacem & concordiam M. Æmilii Lepidi cum M. Fulvio Nobiliori, ut ſuprà dixi: quòd ſit verbum TER. ad Tertiam Paulli Æmilii filiam, de qua ſuperius rettuli, quis poſſet referre non ineptè, ſed fortè Paullum Æmilium, cujus extat vita apud Plutarchum, verius quis fuiſſe in hoc numiſmate intellexerit, ut *Lepidus* exponatur pro *Æmilio*, Græci enim lepiditatem ſermonis (ut inquit) Plutarchus,

αἰμυλίαν vocant, facundiamque, & veteres per *jota* ſimplex ſcribebant. Cùm Græci per *i* tenue, unde ea vox accepta eſt, deſignent. Politianus in lib. 1. *Epiſt.* ad Pomponium Lætum, ſcribens ſuper Panthei teſtudine *Aimilium*, non *Æmilium* fuiſſe ſcriptum: & in marmorea tabula Romæ inventa. Sed aliquis diligentior in veterum numiſmatis interpretandis ſubtilius, ac certius declaret, mihi ſatis fuerit aliqua oſtendiſſe ſi non idonea ad hoc exponendum numiſma, ſaltem, quæ lectorem non faſtidiant, nec penitus Romanæ hiſtoriæ ignarum abire ſinant. Ego tamen (ut veriora afferrem quæque magis veriſimilia ſunt) exiſtimo, has imagines, quæ in numiſmate fuerunt ſic ſculptæ, deſignare omnem hiſtoriam, quam Propertius elegantiſſimus poëta, in fine operis deſcribit. Dum facit, ut uxor Paulli mortua, ad ipſum Paullum loquatur, ut lachrymas in funere ſuo cohibere velit ſic,

Deſine Paulle meum lachrymis urgere ſepulchrum,
Panditur ad nullas janua nigra preces.

Et paulò pòſt ait:

Quid mihi conjugium Pauli? quid currus avorum
Profuit? aut famæ pignora tanta meæ?

Et infrà:

Si cui fama fuit per avita trophæa decori,
Æra Numantinos regna loquuntur avos.
Altera maternos exæquat turba Libones.
Et domus eſt titulis utraque fulta ſuis.

Deinde,

Jungar Paule tuo ſic diſceſſura cubili,
In lapide hoc uni nupta fuiſſe legar.

Etiam paulò pòſt illud,

Nec te dulce caput mater Scribonia læſi
In me mutatum quid niſi fata velis?

Et paulò pòſt illa faciunt carmina,

Te Lepide, & te Paule meum poſt fata levamen
Condita ſunt veſtro lumina noſtra ſinu.
Vidimus & fratrem ſellam geminaſſe curulem
Conſule quo facto tempore rapta ſoror.
Filia tu ſpeciem cenſuræ nacta paternæ
Fac teneas unum, nos imitata, virum.

Et

Et ſerie fulcite genus, mihi cymba volenti
Solvitur auctturis tot mea fata malis.
Hæc eſt fœminei merces extrema Triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo communia pignora, natos,
Hæc cura & cineri ſpirat inuſta meo.
Fungere maternis vicibus pater, illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oſcula cùm dederis tua flentibus, adjice matris:
Tota domus cœpit nunc onus eſſe tuum.

Et hæc quidem ad rem, ne totam elegiam hic ſubſcribam, hic eſt ille Lepidus, & Paullus, hic ſunt illi Libones, hic Scribonia, hic filia nacta ſpeciem cenſuræ paternæ, hæc denique omnia Propertiana ad numiſma ſuprâſcriptum faciunt, ſi quis penitius rem univerſam introſpiciat. Nam uxor iſtius Paulli vocata fuit Cornelia, quæ fuit filia Scriboniæ, quam Scriboniam accepit in matrimonium Auguſtus, & ex ea filiam Juliam ſuſcepit, quæ Scribonia, authore Tranquillo, antè fuerat nupta duobus Conſularibus, & ex altero erat mater. Nam Tranquillus ait hanc Corneliam fuiſſe illam Scriboniæ filiam ex viro conſulari, ex quo fuit mater, unde nunc ſororem ſuam appellat Cornelia ipſam Juliam filiam Auguſti, quoniam ambæ ex matre Scribonia erant procreatæ. Hinc Propertius fit lucidior. Cornelia iſta uxor Paulli, cujus extat hæc elegia Propertii, habuit Scriboniam matrem ex Libonum familia honorata & ſplendida, ex qua fuit is Libo, qui Tribunal, ſedemque Prætoris prope arcum Fabianum collocavit, quod ab ejus nomine dictum eſt *puteal Libonis*: de quo ſuprà in interpretatione cujuſdam numiſmatis à me facta fuit mentio. Nimirum igitur, ſi dixi in alio numiſmate extare illa verba ſeu inſcriptionem, PVTEAL SCRIBON LIBO. Paullus autem iſte maritus Corneliæ fuit ex gente Æmilia hoc eſt Scipionum. Paullus enim Æmylius devicit Perſen Macedonum regem: de quo Triumphavit, ut ſupra diximus. Cornelia autem iſta habuit tres filios, duos ſcilicet maſculos, Paullum, & Lepidum, & unam filiam cujus nomen non ponit Propertius: hanc tamen fuiſſe Tertiam poſſumus conjectari, cùm iſta mulier Cornelia fuerit uxor Paulli Æmylii. Ideo dicit illis duobus carminibus,

Et


Et tamen emerui generoſos veſtis honores,
Nec mea de ſterili facta rapina domo.

Nam iſta dixit poëta, ut ſignaret matronalem veſtem, quæ mulieribus matronis quàm fœcundis dabatur, quæ trium liberorum factæ eſſent matres, ut alias in meis juris civilis exercitationibus annotavi. Ideo dixit, & Lepidum, & Paullum, & filiam unam reliquiſſe, & hæc ſatis ſint ad hoc numiſma: & ſi prolixè ſatis diſſeruimus, in re enim penè ancipiti ita fieri opus fuit. Nos tamen verum elicuiſſe ſenſum ejus numiſmatis certiores facti ſumus ex Propertii verſiculis, & ſi aliqui in hoc numiſmate, ea parte, qua eſt inſcriptio *concordia puteal Libo* velint appenſas fuiſſe lyras duas, quæ cauſidicos, ſi clientibus conſultum vellent, congruentia ſuſceptæ materiæ dicerent, ab iis, quæ incongrua & diſcrepantia eſſent, abſtinerent, admoneret: & litigantes, ut concordiæ memores eſſent, doceret: tale tamen numiſma mihi videre adhuc non contigit: illud quidem vidi ab utriſque lateribus putei duas ſitulas appenſas præ ſe ferentes ſigillum: quod autem pene oblitus fueram, quòd in nummo ſint tres imagines perſonarum, una grandior, altera & altera puſillæ, ſpectare puto ad triumphum Æmylii Paulli, quem (ut ait Plutarchus) ſequebantur regii nati, erant autem maſculi duo, & una fœmina. Deníque in hoc nummo omnem pompam triumphi Paulli Æmylii, deſignari opinor: quam Plutarchus luculenter, & diligenter enarrat: vel quia ter triumphavit, ideo TER in nummo poſitum.

C. PLOTII TRIVMVIRI NVMISMA.

P. BEMBVS Cardinalis epiſtolarum ab ſe eleganter ſcriptarum altero volumine, quas Latinè ad familiares ſcripſit, Bernardino Sandrio, locum quendam Ciceronis explicans, inquit, *eſt apud me nummus æreus perantiquus ita ſcriptus.* C. PLOTIVS IIIVIR. A. A. A. F. F. *hoc eſt, auro, argento, ære flando feriundo.* monetalium Romæ fuit magiſtratus, qui curam cudendæ monetæ haberent: hi Triûmviri erant, de quibus meminit Livius lib. 3. decadis iij. & lib. iiij. & vj. ejuſd. dec. tertiæ. meminit & Pomponius Juriſconſul-

tus



Digitized by Google

tus in l. ij. ff. *de origine juris* his verbis, *Eodem tempore conſtituti ſunt triûmviri monetales æris, argenti, auri flatores.* Sed & Cicero lib. vij. *epiſtolarum familiarium* epiſtola ad Trebatium, *treviros* (inquit) *vites cenſeo: audio capitales eſſe: mallem auro, argento, æréque eſſent:* idem meminit & lib. 10. ad Atticum. P. Crinitus lib. xvij. *de honeſta diſciplina* cap. vij. hunc locum ſeu has notas primus expoſuit: quo loco ad tribunos ſignandi nummi poteſtatem relatam ex legibus decemviralibus probat: interim ego ex his ſic illuſtrari poſſe locum Horatii in odis opinor, ea nempe ode, ubi ita proſequitur navem, qua Virgilius Athenas ferebatur,

Illi robur & æs triplex circa pectus erat,
Qui fragilem truci commiſit pelago ratem.

Alluſiſſe enim videtur Horatius ad has notas in his verbis *triplex æs.* Sed hic & illud afferam, cùm ad rem faciat, officinam Monetæ juxta ædem Saturni (Plutarcho auctore in problematis) in qua adſervabatur ærarium Romanum, non longe à templo Antonini fuiſſe, nam ut ait Marlianus in *Topographia urbis Romæ*, ibi vidimus effodi magnam æreorum nummorum copiam: qua re multis viſum eſt, non leve argumentum, ibi fuiſſe Monetæ officinam, à capitolio una cum ærario hunc in locum tranſlatam. Alexander ab Alex. lib. iij. *genial. dierum* cap. xvj. ſic de triûmviris monetalibus loquitur, *Nec me præterit poſt Cannenſem cladem propter ingruentem ærarii & militum inopiam triûmviros conquirendæ pecuniæ monetales ſeu menſarios creatos fuiſſe: æris, argenti, atque auri flatores, quorum munus erat numiſmata probi auri & argenti juſtíque ponderis examinare, & alios legendæ juventutis, qui militiæ idoneos per oppida conquiſitos aſcriberent: quod quidem ingruente bellorum tumultu, ſæpe fieri animadvertimus:* hæc ille; ſed nullo (ut ejus eſt mos) unquam citato auctore. Sed non omittendum quemadmodum in Julii Cæſaris argenteo nummo hæc erat inſcriptio: C. COSSVTIVS MARIDIANVS A. A. A. F. F. Sed in duobus nummis æreis Auguſti illæ eædem notæ fuerunt, hoc pacto S. C. M. SALVIVS OTHO IIIVIR. A. A. A. F. F. & in alio M. MAECILIVS TVLLVS IIIVIR. A. A. A. F. F. S. C. Illud quoque non inutile admonitu fore arbitror, Lugduni Romanos imperatores, argentum, aurúmque, & monetæ omne genus ſignare conſuêſſe, ſive

Digitized by Google

quòd prompta ibi ad cudendum metalli copia foret, ſeu quòd muniтiſſimus locus & acceſſu difficilis ad confluentes (quod ibi Arar Rodano commiſcetur) eſſe cenſebatur. Et hæc quidem de monetalibus, æris, argenti, atque auri flatoribus ſatis. Reliqua pete ab magnis commentariis Romanæ Reipublicæ.

M. SCAVRI AEDILIS CVRVLIS NVMISMA.

NVMISMA argenteum M. SCAVRI AED. CVR. quod mihi lectiſſima matrona, ac perilluſtris Leonora Scota Tuiſca comes oſtendit, in priori parte hæc oſtentabat ſigna, camelum ſtantem, cui genuflexa imago antè videbatur, quæ habenas cameli præ manu teneret: has notas ſuperius præ ſe ferens: M. SCAVRVS AED. CVR. In medio autem nummi S. C. in ima parte REX ARETAS. poſt camelum nota denarii talis: x. & hæc in anteriori numiſmatis parte. In poſteriori autem imago apparebat, quæ currum habenis regebat in curru ſtans. Erat autem currus quatuor equis tractus, ante pedes equorum neſcio quid inſtar forficis jacens: ibi ſupra hæ literæ poſitæ, HYPSAEVS AED. CVR. in latere nummi erat ſcriptum, CAPTO PRIVER. in extremo nummi ad imum margine hæc inſcriptio COS. HYPSAE. & hæc quidem omnia in hoc perantiquo numiſmate belliſſimè effigiata fuerunt: quæ quantum per me fieri poterit hìc explicata dabò, utque ex hiſtoriis percipi poterit. Nam hæc hieroglyphica, niſi ex varia authorum lectione, & præcipuè hiſtoriarum, temporúmque habita ſerie, rectè declarari haud facilè queunt. Et imprimis quod ad camelum ſpectat, exiſtimo exhibitam populo aliquam ſpectationem camelorum, qui mos antiquus in gratiam & voluptatem populorum in uſu erat. Sic Antoninus Philoſophus centum leones populo exhibuit una miſſione, ut Julius Capitolinus narrat: ſic & alii principes elephantos, Alces, & hujuſmodi animalia ſæpius exhibuêre, ut apud Suetonium, cæteróſque hiſtoriæ ſcriptores eſt legere. Sic Romæ fuere, ut narrat Jul. Capitolinus in vita Gordiani junioris ſub Gordiano elephanti xxx. & ij. quorum Gordianus ipſe xij. miſerat, Alexander x. Alces x. Tigres x. Leones manſueti lx. Leopardi manſueti xxx.

Belbi



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google

Belbi id eſt Hyenæ x. gladiatorum fiſcalium paria mille, Hippopotamus & Rhinoceros unus. Archoleontes x. camelopardali x. onagri x. equiferi xl. & cætera hujuſmodi animalia innumera & diverſa, quæ omnia Philippus ludis ſecularibus vel dedit, vel occidit: has autem omnes feras manſuetas & præterea efferatas parabat ad triumphum Perſicum, ſed votum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit ſecularibus ludis, & muneribus atque circenſibus, cùm milleſimum ab urbe condita annum in conſulatu ſuo, & filii ſui celebravit, quod de Cæſare memoriæ traditum eſt. At ego crediderim (quod ad præſens numiſma ſpectat) M. Scaurum Ædilem Curulem tale ſpectaculum exhibuiſſe, cùm ad Ædilium curulium munus iſta ſpectarent, ut alibi à me relatum eſt: nempè in numiſmate Poſthumæ. Marcum autem Scaurum fuiſſe ædilem curulem oſtendit his verbis Aſconius Pædianus in oratione Ciceronis pro M. Scauro: *M. Scaurus, M. Scauri filius, qui princeps Senatus fuit, vitricum habuit Syllam: quo victore & munifico in ſocios victoriæ ità abſtinens fuit, ut nihil neque ſibi donari voluerit, neque ab haſta emerit. Ædilitatem ſumma magnificentia geſſit, adeò ut in ejus impenſa opes ſuas abſumpſerit, magnúmque æs alienum contraxerit.* De M. Scauri ædilitate meminit Plinius lib. xxxvj. cap. xv. ubi dicit *ſe neſcire an ædilitas M. Scauri proſtraverit mores civitatis, majúſque ſit Syllæ malum tanta privigni potentia, quàm proſcriptio tot millium. Hic fecit in Ædilitate opus maximum omnium, quæ unquàm fuere humana manu facta: non temporaria mora, verùm etiam æternitatis deſtinatione. Theatrum hoc fuit,* &c. ubi illud mirabile theatrum & ſcenam proſequitur, meminit etiam idem Plinius eodem lib. cap. ij. Imago quæ eſt genuflexa, videtur fortè fuiſſe M. Scaurus, qui ad genua Judicum provolutus ſit, cùm contra eum ſententiæ ferrentur apud Catonem prætorem, eum defendentibus ſex patronis, (cùm ad id tempus rarò quiſquam pluribus, quàm quatuor uſus eſſet) patroni autem fuere ſex, P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Meſalla Niger, Q. Hortenſius. Sed & ipſe M. Scaurus dixit pro ſe, ac magnopere movit Judices, & ſqualore & lachrymis, & ædilitatis effuſa memoria, ac favore populari, ac præcipuè paternæ authoritatis recordatione habuit omnes ix. laudatores viros conſulares, L. Piſonem, M. Vol. Q. Metellum nepo-

tem, M. Perpennam, L. Philippum, M. Ciceronem, Quintum Hortenſium, P. Servilium, Iſauricum, Gn. Pompejum: laudavit etiam Fauſtus Sylla ejus frater Syllæ Felicis filius, qui non minus permovit audientes, quàm ipſe M. Scaurus permoverat ad genua Judicum: & hæc hactenus, quæ ad M. Scauri ædilitatem faciunt, & ad ipſum M. Scaurum: animadvertendum autem eſt hoc numiſma Senatuſconſulti auctoritate cuſum fuiſſe, quod indicant illa verba S. C. quod rarum in nummis argenteis eſt videre: literæ, quæ ſequuntur in nummo ad imam partem, REX ARETAS. & hæ ex hiſtoria veteri intelligi poſſunt: hujus Regis meminit Appianus Alexandrinus libro, qui inſcribitur *Mithridaticus*, ubi narrat Pompejum cognomento Magnum cum Areta Nabathæorum rege bello contendiſſe: meminit ejuſdem etiam paulò pòſt, cùm deſcribit triumphum Pompeii Magni, in quo erant & reges bello ſuperati. Tygranes Armenius, Atroces Hiberus, Orizes Albanus, Darius Medus, Areta Nabathæus, & Antiochus Comagenus, & hæc de Areta rege: currus tractus à quatuor equis, ab imaginéque rectus, Triumphus eſſe poteſt ex capto Priverno, vel ex captivitate regis Aretæ deſignatus: quòd autem ante pedes equorum ſe forficis inſtar præbet videndum, id exiſtimo factum ad retinendum curſum equorum, tanquàm ſit meta curſus: literæ, HYPSAEUS AED. CVR. an illum Hypſæum denotent, cujus meminit Cicero lib. *epiſtol. famil.* 1. prima epiſtola Publio Lentulo ſcripta, ubi dicit, *Libonis & Hypſæi non obſcura concurſatio & contentio*, mihi non ſatis liquet: crediderim tamen eundem eſſe ex conjectura. Nam Aſconius Pædianus in oratione pro Milone ejuſdem ſic meminit: non tamen quòd appellet eum Ædilem curulem, prout eſt in nummo: inquit igitur Pædianus, *Inter candidatorum Hypſæi & Milonis manus in via ſacra pugnatum eſt.* Meminit & de Hypſæo conſule Plutarchus in vita Pompei Magni his verbis: *Poſt paucos dies Hypſæus vir conſularis Judicium vitans cognito Pompejum ad cænam lætum proficiſci, ejus genibus accubuit, eúmque obſecrare cæpit. Sed Pompejus eum cum faſtu præteriit, illum inquiens ſibi cænam diſperdere, aliúdque conclusit nihil* &c. hinc illud conſiderandum, imaginem genuflexam ad Hypſæum hunc etiam referri poſſe, qui ut in imo nummi margine ſcriptum adparet, conſul fuerit. Sic enim literæ leguntur, HYPSAE.

COS.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

COS. quòd autem inſcriptio ſit in nummo, CAPTO PRIVER. id totum ex Liviana hiſtoria petendum eſt lib. viij. decadis primæ, ubi narratur bellum à Romanis contra Privernates initum, conſule L. Plautio Venoce, qui ad id bellum miſſus à Senatu Romano fuerit: qui demum donati civitate Romana fuerint: eorum dux Vitruvius Vaccus in eo bello fuit, cujus poſtea ædes dirutæ, publicatóque ſolo *Vacciprata* appellata ſunt: bona ejuſdem Semoni Sango conſecrata: illud hic magni animi principis Privernatum exemplum non præteribo cùm liberè id dictum ac reſponſum, in cauſa fuerit, ut Romani à pœna Privernates liberarent, eóſque cives Romanos facerent. Interrogatus igitur unus ex legatis Privernatibus à quodam, quámnam pœnam meritos cenſeret Privernates, *eam*, inquit, *quam merentur, qui ſe libertate dignos cenſent*. Sed & conſul Lucius Plautius Venox, cum hoc feroci reſponſo inferiores factos videret eos, qui ante Privernatium cauſam impugnabant, ut ipſe benigna interrogatione mitius reſponſum eliceret: *quid ſi pœnam*, inquit, *remittimus vobis, qualem nos pacem vobiſcum habituros ſperemus? Si bonam dederitis*, reſpondit, *& fidam & perpetuam, Si malam, haud diuturnam*. Cujus hiſtoriæ & liberè dicti meminit & Valerius Maximus lib. vj. cap. ij. ubi quæ liberè dicta aut facta ſunt, recenſet: & hæc ad hoc numiſma, quæ faciant, à me dicta ſint ſatis: cùm ex omni parte elaboratum ſit hoc elegantiſſimum numiſma, non unam tantùm, ſed hiſtoriam multiplicem continens: quod ſanè indicat apertiſſimè, quantam rerum ac eruditionis cognitionem illum habere oporteat, qui talia numiſmata rectè & adamuſſim explicare voluerit.

M. PISONIS FRVGI NVMISMA.

ALIVD numiſma argenteum mihi oſtendit eadem LEONORA Scota Tuiſca, cujus ex una parte capitulum muliebre extabat, ibi ſtella mediáque luna, ſine ulla inſcriptione: ex alia parte corolla è piſonibus texta, in cujus medio circulus inſtar pateræ, in qua inerant quædam veluti legumina, & fortè piſones aut ſimilia. Hoc titulo, M. PISON. FRVG. quod ad ſtellam attinet & lunam, hoc

ad gloriam & honorem familiæ pertinere arbitror: quòd nempè è cœlo genus ſuum ſit corrivatum & emanatum: hocque deſumptum opinor à vetuſtioribus moribus. Veteres enim cùm lunæ ſimulachrum oſtenderent, puellam faciebant curru per cœlum vehi, dimidiato lunari globo, temporibus accommodato ſurſum verſus reflexo, ut etiam in nummo quodam apparet æneo, Romanorum ſeculis percuſſo. Hinc aſſumpſerunt ſibi tam egregium inſigne Antelunares (ſic ipſi ſe dicebant Arcades) ex quibus Romana poſteà nobilitas accepit lunæ imaginem, pedibus aſſuens, ut fundamentum hoc eſt principium generis, ab Evandro Arcade deductum eſſe ſignificarent: quod & Plutarchus in problematis narrat, problemate 76. & Alciatus noſter in emblematum eleganti libello effigiavit. An hîc poſita mediata luna? ut humanarum rerum inſtabilitatis elatos homines, ac ſuperbos admoneat, ut ſenſit idem Plutarchus. An ſignum ejus habitationis, quæ extare in luna dicitur, & quod poſt mortem animi rurſus lunam ſub pedibus habebunt? Quod & imitatus Auguſtus Cæſar in hoc idem argumentum argenteum ſignavit, ubi eadem ſpecies curvatæ lunæ expreſſa eſt, majoris avunculi, unde adoptatus fuit, ſtellam utroque cornu penitus complexa, ut inde quoque gentem ſuam gloria augeret: in qua quidem re non potuit locum excogitare Octavius toto cœlo digniorem, ubi Cæſaris ſui animam collocaret, quàm ut in lunæ ſemicirculo eam includeret. Sed hæc ad lunam & ſtellam, quæ in prima parte nummi fuerunt, ſatis. Nunc ad inſcriptionem, quæ fuit in poſteriori numiſmatis parte, veniamus, M. PISON. FRVG. Cicero de M. Piſone in oratione adverſus L. Piſonem meminit his verbis, *Irriſa eſt à te paulò antè M. Piſonis cupiditas triumphandi, à qua te longè dixiſti abhorrere, qui etiamſi minus magnum bellum geſſerat, iſtum honorem emendum non putavit puer eruditior quàm ipſe.* Aſconius Pædianus dum hæc verba interpretatur, hæc ait, *Quis hic M. Piſo fuerit credo vos ignorare, fuit autem (ut puto jam vos dixiſſe) P. Piſo eiſdem temporibus, quibus Cicero, ſed tanto ætate major, ut adoleſcentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quod in eo etiam quædam vitæ ſimilitudo, & multæ erant literæ. Orator quoque frequentior habitus eſt, biennio tamen ſerius, quàm Cicero conſul fuit. Triumphavit proconſul de Hiſpania Q. Hortenſio, Q. Metello Cretico Coſſ. ante Ciceronis conſulatum.*

Quibus

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

Quibus verbis videtur innuere hunc M. Piſonem, qui eſt in numiſmate. Quod autem ſit verbum illud in nummo, FRVG. illud ſciendum quod narrat idem Aſconius in eadem oratione contra L. Piſonem in principio, ſuper illis verbis, *ore ipſo patriam aſpernaris, oratione genus, moribus nomen.* Tametſi illa oratio inſcribitur in L. Piſonem, tamen hunc Piſonem ex ea familia eſſe, quæ Frugi appellata ſit, & ideo Ciceronem dicere adſpernari eum moribus nomen, & ſic notandum eſt hoc loco, Piſonem hunc M. fuiſſe ex familia illa, quæ FRVGI appellabatur, ideò poſita verba illa FRVG. An verò hic M. Piſo Frugi fuerit ille, de quo Ciceronis teſtimonium adduximus, incertum apud me eſt: conjectura tamen ductus illum fortè fuiſſe opinari poſſum. Piſonis autem Frugi meminit Cic. lib. iij. *Tuſculanarum quæſtionum*, ubi de frugalitate differit, illud dicens, etiam frugi homines Græcos appellare χρησίμους, id eſt, *tantummodò utiles*: hinc *frugalitas* à *fruge*, qua nihil melius è terra, ejus contrarium nequitia, ab eo quod nequidquam eſt in tali homine ex nihilo dicitur. De Piſone etiam Frugi meminit idem Cicero in oratione pro M. Fontejo, qui vir tanta virtute atque integritate fuit, ut optimis illis temporibus, cùm hominem invenire nequam non poſſes, ſolus tamen Frugi nominaretur: quem Gracchus inimicus coactus fuit appellare Frugi. Hujus M. Piſonis, cognomento Frugi, magna & præclara in Rempublicam exſtiterunt officia. Hujus uxor (ut ex oratione in Lucium Piſonem apparet) fuit filia Ciceronis. Nam Cicero repudiata Terentia uxore prædivitem puellam in uxorem ſenex duxit: filiam ſuam, quæ prius Piſoni Frugi nupſerat, illo defuncto, in uxorem dedit Lentulo, ut narrat Plutarchus in vita Ciceronis, quod etiam interpretes orationis in L. Piſonem annotaverunt ſuper illis verbis, *Genero meo, Propinquo tuo:* non tamen Plutarchum nec alium quemvis citantes auctorem.

TATII TITI SABIN. REGIS NVMISMA.

ARGENTEVM & aliud numiſma vetuſtiſſimum eadem nobiliſſima LEONORA Scota Tuiſca mihi oſtendit, in cujus anteriori orbe imago ſenis cogitantis, vividiſque oculis extabat his literis,

teris, A SABIN. in poſteriori autem orbe erant duorum robuſtorum juvenum imagines, quæ alias duas imagines aſpectu fœmineas auferre videbantur (fugam enim arripere videbantur) hac ſubſcriptione TATIT. & hoc numiſma quidem antiquiſſimum fuiſſe exiſtimo, opinórque hoc totum figmentum raptum Sabinarum deſignare, qui ſub Imperio Romuli, primi Romanorum Regis, & Titi Tatii, Sabinorum Regis, factus ſit. Hiſtoriam hanc narrat Titus Livius lib. primo ab Urbe condita, decadis primæ, & Virgilius his carminibus hanc rem totam illuſtravit lib. viij. *Æneidos*,

> *Nec procul hinc Romam, & raptas ſine more Sabinas*
> *Conſeſſu caveæ, magnis Circenſibus actis,*
> *Addiderat, ſubitoque novum conſurgere bellum*
> *Romulidis, Tatioque ſeni, Curibuſque ſeveris. &c.*

TITI CLAVDII AVGVSTI LIBERTAS.

IN TITI Claudii numiſmate æreo, quod dum Ticini eſſem, mihi oſtendit Theodorus, Comes illuſtris ſancti Georgii Canapicii Caſalenſis, adoleſcens clariſſimus, & optima indole natus, fuit Libertas ſtans in lacinia cum pileo in dextra, alteram manum expanſam habens, cum his notis, LIBERTAS AVGVSTA. S.C. Libertas à Romanis dea culta fuit, ejuſque templum Publius Victor in Aventino conſtituit, ibidémque fuit Libertatis atrium, de quo apud autores crebra eſt mentio. Publius Clodius templum libertatis cum porticu ſtruxit eo loco, ubi fuit domus Ciceronis, quæ apud Jovem Statorem fuit, cùm incendio direpta eſſet, ut refert Marlianus in *Topographia Romæ* lib. 2. idem refert lib. 4. cap. v. Templum Libertatis ex multatitia pecunia, cum æreis columnis, & ſtatuis à patre Titi Gracchi, & conditam & dedicatam, cujus atrium ab Hælio Pæto, & Cornelio Cethego fuit refectum, & ampliatum, quod verò à Suetonio traditur in *Auguſto* Aſinium Pollionem atrium libertatis extruxiſſe, de alio atrio intelligendum eſſe exiſtimat idem Marlianus, propterea quòd multo tempore pòſt fuit Aſinius Pollio, cui opinioni aſſentiri videtur Livius lib. v. Dec. v. ubi inquit, *Hæc inter ipſos diſceptata, poſtremò eò deſcenſum eſt, ut ex quatuor urbanis tribu-*


Pag. 56.
LIBERTAS AVGVSTA
S C
IMP·NERVA·CAES·AVG·P·M·TRP·COS·II·PP
LIBERTAS PVBLICA
S C
EID·MR·

Digitized by Google

tribubus, unam palàm in atrio Libertatis ſortirentur. Quæ omnia Marliani verba hic poſuiſſe volui, propterea quod & Lilius Gyraldus noſter, cui aliquando copiam ejus Topographiæ Romæ feci, eo anno, quo impreſſa fuit eadem penè dicat. Libertatis meminit & Cicero pro domo ſua ad pontifices, & Dion lib. xliij. *hiſtor.* Libertatis indicium fuiſſe pileum, unde & qui ſervi donabantur libertate, pileum geſtabant capite raſo, quod & nos in enarrationibus noſtris in Jus civile explicavimus, quo etiam loco poſui emblema noſtri Alciati, ubi in carmen redegit numiſma à Brutis effictum in quo ſignum erat tale, pileus duobus pugionibus impoſitus, quæ res primùm eſt annotata à Politiano in *Miſcellaneis*, ut à me aliàs in exercitationibus Juris civilis eſt annotatum: in Nervæ Cæſaris Auguſti, numiſmate æreo, fuit in altera parte effigies ipſius Nervæ, cum his notis, IMP. NERVA. CAESAR AVG. P. M. TR. PL. COS. II. PP. in averſa parte hæc erant verba, LIBERTAS PVBLICA SC. & erat ibi imago Libertatis ſtantis in lacinia in dextra pileum, in læva haſtam tenentis, & hæc quidem duo numiſmata oſtendit mihi cum aliis multis aureis, argenteis, & æreis, vir cultus, & antiquitatis maximè ſtudioſus M. Antonius è familia Maximorum, Patavinus, cum quo interceſſit mihi amicitia jucundiſſima, cùm Alexander Baſſianus, Patavinus, idem familiaris meus, antiquitatis obſervator ſummus, ad ejus domum mecum contendiſſet: eſt Græcis (ut etiam hoc addam huic expoſitioni) ἐλευθερία Libertatis Dea, de qua Plautus in *Sticho*, & in *Perſa, Baſilicè Eleutheria agito.* Eleutheria feſta erant Græca, quæ celebrabantur in honorem Jovis Eleutherii: quem & σωτῆρα, id eſt, *liberatorem*, vocabant. Celebrabantur hæc in Syracuſijs, Tarenti, apud Platæenſes in Caria, in quibus nec heris in ſervos, & magiſtratui in maleficos animadvertere licebat, unde *Eleutheria* à libertate dicta; de porticu Eleutherii Jovis, qui Athenis fuit, meminit Plato in Theagenam. Conſtat treis fuiſſe Athenis celeberrimas porticus, porticum Jovis Eleutherii, & alteram, quæ *Baſileos* dicebatur. Tertiam quæ ἀνακτῖος dicta fuit ob imaginum varietatem ποικίλη. Hanc porticum pinxit Polignotus Thaſius, ut Plinius refert lib. xxxv. cap. ix.

Digitized by Google

CALIGVLAE, NERONIS ET GALBAE ADLOCVTIO.

IN tribus æreis Caligulæ, Neronis, Galbæ numiſmatibus, quæ ſuperioribus annis, cùm Ticini eſſem, dono dedit mihi Bernardus Chriſtianus, amicus meus, erat effigies pulcherrima Imperatorum ad cohortes militum loquentium, cum hac inſcriptione, ADLOC COH SC. cujus moris atque conſuetudinis, ut fuit origo perantiqua, ità adhortatio perutilis. Nam milites ſic à duce ad bellum inflammati acrius pugnabant, & magis ac magis ad victoriam accendebantur. Cujus quidem inſtituti duo exempla in præcipuo poëtarum Virgilio in *Æneide* à me obſervata hic ſubſcribere non inutile fuerit. Alterius quidem in v. ipſius eſt Æneæ adlocutio ad milites Trojanos, cùm parentis Anchiſæ manibus parentat. Sic igitur hunc in modum ille,

Poſtera cùm primo ſtellas oriente fugârat
Clara dies, ſocios in cœtum littore ab omni
Advocat Æneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidæ magni genus alto à ſanguine Divûm,
Annuus exactis completur menſibus orbis,
Ex quo rélliquias divinique oſſa parentis
Condidimus terra, mœſtaſque ſacravimus aras.
Jamque dies (ni fallor) adeſt, quem ſemper acerbum
Semper honoratum (ſic Dii voluiſtis) habebo.

&c. quæ ſequuntur. Alterius verò loci Virgiliani eſt lib. xij. exemplum aliquanto clarius & pulchrius: ex quo vera effigies Adlocutionis exprimitur ſic,

Continuò pugnæ accendit majoris imago:
Mneſthea, Sergeſtumque vocat, fortemque Sereſtum,
Ductores, tumulumque capit, quo cætera Teucrûm
Concurrit legio, nec ſcuta, aut ſpicula denſi
Deponunt, celſo medius ſtans aggere fatur:
Nequa meis eſto dictis mora: Juppiter hac ſtat:
Neu quis ob inceptum ſubitum mihi ſegnior ito,
Vrbem hodiè cauſſam belli, regna ipſa Latini,
Ni frænum accipere, & victi parêre fatentur,

Eruam,

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Eruam, & æqua ſolo fumantia culmina ponam.
Scilicet expectem, libeat dum prælia Turno
Noſtra pati? rurſuſque velit concurrere victus?
Hoc caput ô cives, hæc belli ſumma nefandi,
Ferte faces properè, fœduſque repoſcite flammis.
Dixerat: atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum, denſaque ad muros mole feruntur.

Vides nunc, lector optime, atque idem eruditiſſime, quàm pulcherrimè his duobus in locis, & hoc potiſſimùm poſtremo, Poëta noſter adlocutionem cohortis, de qua in illis numiſmatibus viget adhuc memoria, ad veram imaginem depinxerit? nam quid illa militum clypeata cohors in nummis, atque in medio ſtans imperator, aliud ſibi volunt? quàm quod Virgilius expreſſit ſupra ſcriptis carminibus, morem non ignorans adloquendi milites, qui maximè apud veteres in uſu fuit: ità mehercule iſta non mediocriter ſunt in maximo vate, quàm alia conſideratione digna: illud tantummodò à numiſmatibus diſſidet, quòd Virgilius adloquentes imperatores ad milites, illos ex celſo aggere, aut ex tumuli aggere profari facit, cum in numiſmatibus caſtrenſem ſellam poſitam ſuper quadrata quadam imagine, aut aggeris, ſeu tumuli ſit cernere. De Adlocutione autem hac meminit in *Tyberio* Suetonius, qui ſic ait: *jure autem Tribunitiæ poteſtatis coacto ſenatu, inchoatáque adlocutione de republica, derepentè velut impar dolori congemuit.* Idem in *Galba*: *Obſervatum eſt, Cal. Januar. ſacrificanti coronam de capite excidiſſe, auſpicanti pullos evolaſſe: adoptionis die, neque milites adlocuturo caſtrenſem ſellam de more poſitam pro tribunali oblitis miniſtris: & in ſenatu curulem perverſe collocatam:* quo loco legendum *adlocuturo*, ſic apud Livium ADLOCVTIONIS Templum per D literam non autem per L ſcribendum eſt: ut etiam animadvertit Politianus lib. 4. *Epiſtolarum* Philippo Poſco ſcribens, ſic *quodannis*, ſic *adque*, ſic *adgradior* apud Virgilium ex fide veterum codicum legendum eſt. Adlocutionem pulcherrimam ac elegantiſſimam videre eſt apud Livium lib. vj. Decadis iij. ubi Scipio ratus adloquendos milites veteres, qui magnis cladibus ſuperfuerant, advocata concione ità diſſeruit: *Nemo ante me, novus imperator militibus ſuis priuſquam opera eorum uſus eſſet gratias agere jure ac merito potuit.* Sed hic templum Adlocutio-

nis de quo Livius meminit, ponam. Livius igitur in oratione M. Furii Camilli in concione ad P.R. de non tranſmigrando Vejos, hunc in modum ſcribit, *ADLOCVTIO templum propter cæleſtem vocem exauditam in nova via juſſimus fieri.* Igitur à Furio Camillo Adlocutionis templum conſtructum fuit propè viam novam, quæ ſupra ædem Veſtæ, quæ juncta Romano foro, & velabro fuerit: Suetonius in *Cæſare* ſic de Adlocutione mentionem facit: *Nam cùm in adloquendo adhortandoque ſæpius digitum lævæ manus oſtentans, adfirmaret ſe ad ſatisfaciendum omnibus, per quos dignitatem ſuam defenſurus eſſet, annulum quoque equo animo detracturum ſibi: extrema concio, cui facilius erat videre concionantem, quàm audire, pro dicto accepit, quod viſu ſuſpicabatur, promiſſumque jus annulorum cum millibus cccc. fama diſtulit:* hæc Suetonius. Sed quia ſuperius de aggere tumuli mentionem feci, nunc quædam ex Plutarcho libet proferre. Plutarchus igitur in vita Pompei eo loco, ubi narrat illi nuntiatam Mithridatis mortem à Ponto, ſubjicit etiam literas illi allatas fuiſſe, cùm ipſe eſſet in bello, quæ certum illum de Mithridatis morte fecerunt, quæ cùm per exercitum divulgata foret, illum ad Pompejum curſitare, ipſumque præcingere cœpiſſe refert: cumque deeſſet ſuggeſtus eminentior, ex quo adloqui milites imperatoribus mos eſt, nec miles ullum ſtruxiſſet, tum militem æditum illi erexiſſe tumulum & ſellam attuliſſe, quam aſcenderit Pompejus, & ex literis recitaverit Mithridatem per filii Pharnacis ſeditiones mortem ſibi conſciviſſe ac omnia, quæ ipſe poſſederat, Pharnacem ſibi ſortitum, deque his geſtis Pharnacem ad ſe Romamque ſcriptitaſſe. Quo loco explicat Plutarchus quonam modo tumulus ille ex aggere factus, cùm Imperator legiones adloqueretur, conſtrui ſoleret, verba ſunt: *fieri quippe is ſolet eminentior ſuggeſtus exciſum ceſpitem exciſo accumulando ceſpiti:* ex quibus verbis pulcherrimè oſtenditur in numiſmate adlocutionis imago & ob oculos ponitur: & propriis verbis expreſſa à poëta Virgilio dignoſcitur. Sed hæc jam ſatis.

VITEL-

Digitized by Google

Pag. 61.



Digitized by Google

VITELLII HONOS ET VIRTVS.

IN Vitellii imagine quæ in una parte nummi ærei effiĉta fuit, Virtutis hanc effigiem vidi ex altero latere. Erat Juvenis galeati ſtantis forma, in dextra manu haſtam habentis, & quaſi innitentis, in læva veluti quandam clavam, ſeu teſſeram geſtantis, erat porrò Juvenis ſagatus, & veluti habens quoddam paludamentum ſagum ambiens in humeros rejeĉtum, & ocreatus, ſeu more militari caligatus altero pede teſtudinem premens: hanc imaginem juxta ſtabat, formam virginis præ ſe ferens Honos, haſtam dextra manu tenens, in altera cornucopiæ, brachium autem, quo haſta tenebatur, nudum: veſtis qua tegebantur reliqua membra, ut mihi viſum fuit, erat lacinia ſeu ſtola, quæ uſque ad pedes deſcendebat: premebat autem Delphinem altero pede, erat & in ipſo numiſmate, eleganter effiĉto talis inſcriptio, HONOS ET VIRTVS. Quòd Virtus galeata fuerit in nummo, illud in cauſa fuiſſe exiſtimo, quia Græci Palladem armatam fecêre. Nam in ſtudiis literariis etiam controverſiæ naſcuntur, quæ tanquàm in palæſtra, & luĉta dirimuntur: quam rem quia Joannes Picus ille Mirandulanus in Apologia noningentarum concluſionum ſuarum, perbellè demonſtrat, hic ejus verba memoriæ digna, & his qui diſputandi exercitatione uti non ſolent, utilia futura ſubſcribere operæpretium duco, *ſicut enim* (inquit) *per gymnaſticam corporis vires firmiores fiunt, ita in hac quaſi literaria palæſtra, animi vires & fortiores longè & vegetiores evadunt. Nec crediderim ego aut poëtas aliud per decantata Palladis arma, aut Hebræos cùm ferrum ſapientum ſymbolum eſſe dicunt, ſignificaſſe nobis, quàm honeſtiſſima hoc genus certamina adipiſcendæ ſapientiæ oppidò quàm neceſſaria. Quo fortè fit, ut & Chaldæi in ejus geneſi qui Philoſophus ſit futurus, illud deſiderent, ut Mars Mercurium triquetro aſpeĉtu conſpiciat, quaſi ſi hos congreſſus, & hæc bella ſuſtuleris, ſomniculoſa, & dormitans futura ſit omnis philoſophia.* Haĉtenus Picus: vel etiam armata eſt Virtus, quia virtus in bello enitet, ſuáque virtus eſt unicúique militanti: hinc Virgil. in v.

Exigui numero, ſed bello vivida virtus.

Virtus enim non ſolum in re literaria ſed & in bellico negotio eſt conſpicua, ac maximè illuſtris: utrunque enim exercitium & lite-

rarum & militiæ apud Romanos fuit honeſtiſſimum, ac maximæ dignationis: quod pertinet ad haſtam, clavam, ad ſagum, ad paludamentum, & caligas, omnia militaria arma, & ornamenta, notius eſt quàm ut ego hîc declarem. Paludamentum tamen nonnullis ſcriptoribus viſum eſt fuiſſe ornamentum imperatorium, quod ex Suetonio in *Julio Cæſare* perſpicuum eſt. Aliquando tamen & ſæpius fuit militare, exempla apud Livium plura ſunt, Plutarchus in *Lucullo* (ut Lazarus Bayphius vir de re literaria optime meritus annotavit) ἐφεστρίδα pro paludamento poſuit: idem in *Craſſo* φοινικίδα pro paludamento purpureo poſuit. Illud hic ſubjiciam, hanc effigiem virtutis armatam in numiſmate, omnino fuiſſe ejus formæ ac habitus, quem poſuit, ac ex marmoribus antiquis effingi fecit in ſuo libro *de re veſtiaria* idem Lazarus Bayphius. Sed quid ſibi velit Virtus teſtudinem premens videamus, & Honor Delphinem premens pede. Crediderim ego his duabus rebus maturitatem confici, ut primum in virtutis actione immoremur, dein per ſe ſtatim conſequetur honor: & quidem hæc Virtus armata bellicam artem cunctatione arripiendam & conſilio monet, & poſt cunctationem ipſa victoria accedit, quæ honorem affert ilicò. Nam turpe eſt (ut inquit de Scipione Cicero) Duci in bello dicere *non putaram*, negotia enim bellorum meditatione & conſultatione egent, priuſquàm ad arma concurratur, & ineatur prælium. Vel etiam Virtuti teſtudo, Honori delphinus tribuitur quod in terra ſpectata fuerit virtus, in aquis verò honor adeptus, vel quòd virtus ſimul terris & mari imperet. Hanc autem maturitatem alia forma Alciatus in emblematis ſuis confinxit: nempè Telum, quod conplectatur echeneis: hoc carmine,

Maturare jubent properè, & cunctarier omnes
Neu nimiùm præceps, neu mora longa nimis.
Hoc tibi declaret connexum echeneide telum,
Hæc tarda eſt, volitant ſpicula miſſa manu.

Non ignoro Suetonium in Auguſto referre dicterium fuiſſe ipſius Auguſti σπεῦδε βραδέως &c. Et,

Sat celeriter fieri quicquid fiat ſatis benè.

De qua re aliàs in noſtris Juris civilis exercitationibus impreſſis mentionem fecimus: quod pertinet ad honorem, hic quædam

eram

eram dicturus, quæ facerent ad hujus temporis homines, qui quotidie ſe velle honorem ſuum recuperare contendunt, dum hoſtem ad duellum provocant, neſcientes mehercule quid ſit honor, & quæ ejus conditio, & tamen pro re minima & ſæpe pro nihilo, & de nihilo longas condentes Iliadas, corpus & animam eunt perditum. Cùm tamen hujuſmodi contentiones, & duella à Jure pontificio divinoque & humano prohibita ſint: Cap. *monomachiam* 2. quæſtio. v. & C. *de Gladiatoribus:* ubi Conſtantinus Imperator Aug. cruenta ſpectacula in ocio civili, & domeſtica quiete ſibi non placere ait, quapropter omnino gladiatores eſſe prohibet. Igitur de honore niſi quædam apud Ariſtotelem à me lecta lib. 1. *Rhetoricorum* ad Theodectem, ſum dicturus, propterea quòd nonnulli libros ſcripſerunt hoc tempore de honore integros quidem, lingua vernacula, illorum eſt unus Franciſcus Patritius, qui anno ſuperiore, cùm eſſem Patavii, libellum edidit, in quo quid ſit honor præceptis quidem Philoſophicis diſputat: & is quidem doctiſſimus in Philoſophia, & bonis literis, amicus meus, ejus honoris librum mihi dono dedit. Poſſevinus etiam librum integrum de hac eadem re ædidit. Sed is à me nondum eſt lectus. Ariſtot. igitur lib. *Rhetoricorum* ad Theodectem primo, ſic honorem definit: *Honor eſt exiſtimationis benefactivæ judicium. Partes autem honoris hæ ſunt: Sacra, memorationes, decantationes carminum, aut ſolutæ orationis, ad laudem recitatio, præmia, delubra, vel primi conſeſſus, ſepulchra, imagines, publici victus. Ad hæc etiam barbara, inclinari, loco cedere, munera quoque, ſed alia apud alios honoratiora.* Nunc videamus & ipſius virtutis apud eundem Ariſtotelem definitionem: *eſt autem virtus, ut videtur, vis quædam productiva, aut conſervativa rerum bonarum. Item vis benefaciendi multa ac magna, & omnia in omnibus. Hujus partes hæ ſunt, Juſtitia, Fortitudo, Modeſtia, Magnificentia, Magnanimitas, Liberalitas, Manſuetudo, Prudentia, Sapientia.* Juriſconſultus Modeſtinus lib. *de verbo. ſig.* honorem, exiſtimationem appellat, & ejus cauſam capitalem, ſic enim Latinè loquentes omnem cauſam ad honorem pertinentem, *capitalem* nominare ſolent, hinc tamen mihi naſcitur quoddam dubium, quod videtur movere Papinianus lib. *Pandectarum* xlviij. cap. ad leg. Jul. *de adulter. coerc.* ubi dicitur, quòd non facilè conceditur liber-

Digitized by Google

liberto patroni famam laceſſere, tamen permittitur ei jure mariti patronum ſuum accuſare, quomodo ſi atrocem injuriam paſſus eſſet, & tamen deliberandum inquit Papinianus, an impune patronum libertus occidere poſſit, quod ſibi durum eſſe videtur. Nam cujus famæ multò magis vitæ parcendum eſt, quo loco videtur Papinianus vitam ipſam quaſi honori præponere, quod tamen hodie apud nonnullos non admitteretur. Sed ſic reſolvi facillimè poſſe puto, ſi prohibetur libertus famam & honorem ſui patroni lædere, quæ quidem res eſt maxima, capitalis, & precioſa. Quantò magis vitæ ipſius domini erit parcendum, etiamſi liberti uxorem corruperit? cùm quòd eſt majus remittitur, minus tantò magis remitti debeat: quod tamen durum eſt, ac penè injuſtum. Sed de hac re amplius deliberandum. Illud in præſentia dignum annotatu non omittam, quod vetuſtæ marmorum inſcriptiones, primo verſu habent: OB HONOREM. quòd ſcilicet cenotaphium indicat. *Honorarium* autem *tumulum* Suetonius Tranquillus appellat in *Claudio*, quam rem Magnus Alciatus obſervavit lib. *Parergôn* x. capit. xij. in elogiis etiam veteribus Mediolani, quæ idem Maximus Alciatus in libellum redegit, ac commentatus eſt, ſed nondum edidit, hæc inſcriptio fuit:

D M
IN HONOREM
MAXIMIAN MAXIMAE CALVINI. F. MAXIMVS
MATRI INCOMPARABILI

Apud Jureconſultos ſæpè hujus dictionis *ob Honorem*, mentio eſt: lib. *Pandectôn* L. capit. *de pollicitationibus*, Vlpianus in l. 1. Sed *ſiquidem ob honorem promiſerit decretum ſibi, vel decernendum, vel ob aliam juſtam cauſam, tenebitur ex pollicitatione: idem illud conſtitutum eſt, ut ſi ob honorem pollicitatio fuerit facta, quaſi debitum exigatur. Sed cæptum opus, licet non ob honorem promiſſum, perficere promiſſor cogetur, ſicque eſt conſtitutum.* Idem Vlpianus, *Toties locum habet diminutio pollicitationis in perſona hæredis, quoties non eſt pollicitatio ob honorem facta. Cæterùm ſi ob honorem facta ſit: æris alieni loco habetur, & in hæredum perſona non minuitur: ſi quis pecuniam ob Honorem promiſerit, cæperitque ſolvere, eum debere quaſi cæpto opere, Imperator reſcripſit: Non tantum Maſculos, ſed etiam*

Digitized by Google



Digitized by Google

etiam fœminas, ſi quid ob Honorem pollicitatæ ſunt, debere implere, ſciendum eſt. Modeſtinus eodem lib. & titulo: *Ex pollicitatione, quam quis ob Honorem apud Rempublicam fecit, omnimodò in ſolidum tenentur ipſe & hæres ejus:* idem in l. *ſi quis ob Honorem:* & ibidem Pomponius, & Papyrius: quod verbum toties repetitum, ſpectare non ſolùm ad ſepulchraria, ſed etiam ad quicquid famæ viventium pertinens eſt, crediderim: illud ſciendum extra portam Capenam fuiſſe lucum Honoris, quod Marlianus lib. v. cap. xxvij. in *Topographia Romæ* refert. Sed de Honore & Virtute hæc ſatis.

VITELLII FIDES EXERCITVVM.

IN quodam Vitellii imperatoris numiſmate, erant duæ manus ſimul junctæ, cum his verbis, FIDES EXERCITVVM. in alio nummo bene veteri, quem mihi dono dedit SCANZIVS Mediolanenſis juris civilis perſtudioſus ſcholaſticus, fuit imago Claudii imperatoris radiatam coronam capite habentis cum hac inſcriptione, IMP. C. CLAVDIVS AVG. cujus à tergo erat ſtans icuncula ſigniferi ambabus manibus ſigna tenentis, his verbis FIDES EXERCI. Signorum autem ſeu vexillorum alterum in apice manum expanſam, alterum florem præ ſe ferre videbatur. Quod ad Vitellii nummum pertinet, nihil apud Suetonium de hac re reperi, quódque ad præſentem explicationem facere poſſet. Apud Titum Livium ea tamen verba jandiu legi in libr. xxiij. ab urbe condita, ubi Pacuvius Calavius dehortatur filium à facinore & cæde Annibalis hunc in modum: *Paucæ horæ ſunt, intra quas jurantes per quicquid Deorum eſt, dextras dextræ jungentes fidem obſtrinximus, ut ſacratis de menſis eſſemus:* quibus verbis ſatis perſpicuè apparet, quídnam illæ duæ dextræ deſignent. Nam ſic junctæ manus fidem demonſtrant: in bello enim ſic milites faciebant, ut darent manus alter alteri, & imperatoris ſui animum confirmarent, quin ſacramento adigebantur, ſe nunquam fidem imperatori ſuo violaturos, & pro ſalute ejus etiam morituros: ut lib. ij. cap. v. *de re militari* ad Valentianum Cæſarem Vegetius Flavius commemorat: quod fiebat cùm nomen in militiam darent. Sed qui in externam militiam legi ſe paſſi eſſent, militariter

more Romano puniebantur. Cùm igitur fidem obligarent in bello, dextras ita jungebant in ſignum fœderis. Quem morem præcipuus poëtarum obſervavit ſæpius, & j. cùm dixit:

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.

Et, *Cur dextræ jungere dextram* *Non datur?*

Et illud,

Et dextræ conjungere dextram *Acceſſi.*

Ergo & quam petitis juncta eſt mihi fœdere dextra.

Sed & Alciatus juriſprudentiæ ſacratiſſimus antiſtes in doctiſſimo libello Emblematum his carminibus antiquum morem exercituum ſimul manus jungentium eleganter depinxit,

CONCORDIA.

In bellum civile duces cùm Roma pararet,
Viribus & caderet Martia terra ſuis:
Mos fuit in partes turmis coëuntibus haſdem,
Conjunctas dextras mutua dona dari.
Fœderis hæc ſpecies, id habet Concordia ſignum,
Ut quos jungit Amor, jungat & ipſa manus.

Fuit etiam apud me ſuperioribus annis, cùm Patavii agerem, Auguſti numiſma æreum, quod poſt dono dedi Bartholomæo Rayno Veneto adoleſcenti optimo & benè morigerato, & egregia indole prædito, his quidem notis inſculptum in altera parte. CAESAR IMP. PON. TR. P. P. P. ET SEMPER AVGVSTVS. VIR. à tergo autem erant duæ imagines, quæ manus conjunctas habebant, cum Cornucopiæ his literis, CONCORDIA AVGVSTI. Ægyptii volentes concordiam ſignare, homines duos dextris ſe excipientes pingunt. Cornelius Tacitus lib. xviij. oſtendit dextras concordiæ ſigna ultro citróque deſtinari ab exercitibus ſolitas: quod & Alciatus noſter in annotationibus in Cornelium Tacitum rectè obſervavit. In vetuſto marmore Mediolani in templo Divi Mauritii, ubi eſt elogium Cacurii & Manduillæ conjugum, duæ ſunt junctæ manus in ſignum concordiæ, & benè concordati matrimonii, cum hac inſcriptione,

V. F.

M. CASSIVS M. F. OVF. CACVRIVS SIBI ET ATILIAE MANDVILLAE VXORI ET M. CASSIO BROCCHO FILIO ET

Digitized by Google

ET L. CASSIO DONATO FILIO. IN FR. P. XX. IN AGR. P. XX.

Eſt & aliud elogium Lucconis & Billienæ conjugum dextras invicem jungentium, quibus adeſt & Catulus & taurus, nécnon & Leones arietinis capitibus inſidentes, elogii verba ſunt hæc,

L. SVLPITIVS GN. F. SEVERVS. T. F. I. SIBI. ET GN. SVLPITIO LVCCONI PATRI BILLIENAE SAL. F. SECVNDAE MATRI.

Meminit autem hujus nominis Billienæ Salluſtius in *Jugurtha*, licet ibi corruptè legatur *Lucium Belligerum*, vel ut alii, ſed malè habent, textus, *Belliginum. L. Billieni* igitur legendum eſt juxta veterum codicum veram lectionem: & fortè ille Lucius Billienus fuit pater L. Billieni, de quo Cicero *Philippica* ſecunda mentionem facit, an hæc Billiena mulier fuerit ex familia eorum, quos nominavi, incertum eſt. Crediderim tamen fuiſſe, cùm antiquiſſimum ſit hoc monumentum, ex omni parte elaboratum. Nam junctæ manus & catulus illos ſumma fide invicem vixiſſe oſtendunt: moderationem autem ſemper obſervaſſe argumento eſt taurus, qui ſemper pro temperantia apud Orum Apollinem in *Hieroglyphicis* habetur: cùm id animal fœminæ, poſtquàm coitum concepit, averſetur. Leones autem arietinis capitibus inſidentes, mulierum pudicitiæ cuſtodiam adhibendam indicant. Eſt enim aries levitatis ſtultitiæque ſymbolum, & ideò fœminis congruit. Leo verò cuſtodiæ typum gerit: quoniam id animal apertis oculis dormit. Proptereà etiam pro foribus templorum apponi ſolet; cujus rei idem Orus eſt autor, & Alciatus in *emblematis*, & Pierius Valerianus in *Hieroglyphicis*: quod modò ad junctas manus ſpectat memini me vidiſſe Placentiæ apud Franciſcum Novellium argenteum nummum, in cujus altera parte erant duæ dextræ ſimul junctæ cum caduceo, his notis, ALBINVS BRVTI FIL. in altera verò parte erat Pietatis effigies: literæ, PIETAS. Apud Vegetium *de re Militari* lib. ij. cap. xiij. in fine illud legimus, *Contubernium* manipulus *vocabatur, ab eo quòd conjunctis manibus pariter dimicabant*.

Digitized by Google

VITELLII CONCORDIA.

IN Vitellii numiſmate fuit concordia ſedens cum cratere in manu dextra, illum vergentem in foculum ibi arulæ imagine effictum, altera manu, cubito ſolio innitente, cornucopiæ tenente, cum hac inſcriptione, CONCORDIA AVGVSTI & quiden non ſine cauſa, quando quidem dicat Suetonius, Vitellium juraſſe, nihil ſibi antiquius quiete publica fore, & nullo pugionem recipiente, quaſi in æde Concordiæ poſiturus, eum abſceſſiſſe, ſed quibuſdam acclamantibus, Ipſum eſſe Concordiam, & non ſolùm retinere ſe ferrum affirmavit, verumetiàm Concordiæ recipere cognomen. In Galbæ numiſmate ſic efficta fuit Concordia, Mulier ſedens, dextra ramum olivæ tenens, ſiniſtra haſtam habens cubito ſolio innitens, ubi erant hæc verba, CONCORDIA AVG. S. C. fuit & in ejuſdem Galbæ numiſmate, mulier ſtans cum ramulo olivæ in dextra manu, in altera cum cornucopiæ, cum his verbis: CONCORDIA PROVINCIARVM. aliquando etiam Concordia effingebatur cum ſceptro in manu, aliquando etiam duabus manibus conjunctis ſimul. Cornicem in duobus aureis numiſmatibus Fauſtinæ Auguſtæ Concordiæ titulum ipſum præferentem ſe apud Laurentium Medicem vidiſſe affirmat Politianus cap. lxvij. *Miſcellanearum*, quod & ex Heliani ſcriptoris Græci lib. iij. *de animalibus* idem refert.

De æde Concordiæ ſic ſcribit Plinius lib. xxxiij. *Natural. Hiſto.* cap. 1. *Flavius vovit ædem Concordiæ, ſi populo reconciliaſſet ordines. Et cùm ad id pecunia publica non decerneretur, ex mulctatitia, fæneratoribus condemnatis, ædiculam æream fecit in Græcoſtaſi, quæ tunc ſupra comitium erat. Inciditque in tabula ærea eam ædem C. quatuor annis poſt Capitolinam dedicatam.* Hactenus Plinius. Scribit Suetonius Tiberium dedicaviſſe ædem Concordiæ: quam poſuiſſe refert Marlianus Liviam Germanici matrem, ob viri cum ea concordiam, quod in *Faſtis* his verbis oſtendit Ovidius,

Te quoque magnifica Concordia dedicat æde
Livia, quam claro præſtitit illa viro.

Quo autem loco poſita eſſet ædes Concordiæ, varia eſt opinio. Ideo Marlianus dicit, *quamcunque probaveris, non longè à Palatino monte, & arcu Veſpaſiani fuiſſe comperies.* Scribit Livius lib. vj. de-

cadis



Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

Digitized by Google

Pag. 69.



Digitized by Google

cadis tertiæ, in æde Concordiæ, victoriam, quæ in culmine erat, fulmine ictam, decuſſámque ad victoriam, quæ ante fixa erat, hæſiſſe, neque inde procidiſſe. Alibi ipſam Concordiam ſic effictam vidi, Mitrata palliatáque erat ſtans, dextra cratêrem tenens, læva copiæ cornu. Alio etiam modo vidi ſic ſignatam, Duo erant ſtantes laticlavati dextras dextris jungentes. Extant autem in porticu ædis Concordiæ, octo ingentes columnæ, & in epiſtyliis titulus ſequens: S. P. Q. R. INCENDIO CONSVMPTVM RESTITVIT.

Inventus eſt autem lapis, in quo hujuſmodi verba erant inciſa, D. N. CONSTANTINO MAXIMO PIO FELICI. AC TRIVMPHATORI SEMPER AVGVSTO OB AMPLIFICATAM TOTO ORBE REMPVBLICAM FACTIS CONSILIIS Q. S. P. Q. R. AEDEM CONCORDIAE VETVSTATE COLLAPSAM IN MELIOREM FACIEM OPERE ET CVLTV SPLENDIDIORE RESTITVERVNT.

NERONIS PORTVS OSTIENSIS.

TRIA SVNT Neronis numiſmata, in quorum altero eſt effigies & imago plurium navium, cùm Tritone. Neptunum potius, quàm Tritonem fuiſſe judico, quòd verius ſit, Neptunum ſedentem propter tranquillitatem maris adpoſitum: delphinémque, quòd emollita ſit omnis ira marina, & felicem in portum ſibi ſucceſſum contigiſſe. Nam temonem manu dextra terræ adprimere videtur. Quòd navigationis ſignum eſt in portum hoſtilem læva delphinum amplecti, quòd celerrimè ſedatum illi ſit mare: & delphine veluti mœnibus circumvallata, ubi hæc inſcriptio S. POR. OST. C. AVGVSTI. in altero imago mulieris ſedentis cum arula, altera manu pateram in foculum vergente, & altera manu haſtam tenente, ubi eſt altera mulier ſtans cum cornucopiæ, & etiam eſt ibi roſtrum navis cum hac inſcriptione, ANNONA AVGVSTI CERES S. C. in tertio numiſmate eſt quadriga, ubi ſunt verba; EVTYMIVS. eſt & aliud numiſma aureum ejuſdem Neronis, in quo eſt Jani templum ſertis coronatum cum his verbis: PACE. P. R. VBIQ.

PARTA JANVM CLVSIT. S. C. Hoc eſt *Pace Romæ ubique parta Janum clauſit. Senatus conſultum.* Sed ad horum quatuor numiſmatum imagines explicandas, videamus quid Suetonius Tranquillus in ipſius Neronis vita dicat. In numiſmate ubi eſt inſcriptio, *Portus Oſtienſis*, videtur illud Suetonii facere, *Formam ædificiorum urbis novam excogitavit, & ut ante inſulas, ac domus porticus eſſent, de quorum ſolariis incendia arcerentur, eaſque ſumptu ſuo extruxit. Deſtinaverat etiam Oſtia tenus mœnia promovere, atque inde foſſa mari veteri urbi inducere*: & ibidem: *Foſſam ab Averno Oſtiam uſque ut navibus, nec tamen mari iretur: longitudinis per CLX. milliaria latitudinis, qua contrariæ Quinquiremes commearent*: alibi Suetonius loquens de Oſtia inquit, *tranſiit in hortos Servilianos, ubi præmiſſis libertorum fidiſſimis Oſtiam, ad claſſem præparandam, Tribunos centurionéſque Prætorii de fugæ ſocietate tentavit.* Et alibi Suetonius in *Nerone*, *Quoties Oſtiam Tyberi deflueret, aut Bajanum ſinum præternavigaret, diſpoſitæ per littora & ripas diverſoriæ tabernæ parabantur, inſignes ganeæ, & matronarum inſtitorias operas imitantium, atque hinc inde orantium, ut appelleret. Naumachiam exhibuit marina aqua innantibus belluis. Item ſtagnum maris inſtar fecit circunſeptum ædificiis ad urbium ſpeciem.* Sed de portu Oſtienſi idem Suetonius in *Divo Claudio* meminit: cujus verba hîc apponam, quia ad numiſma noſtrum faciunt perbellè. Refert igitur Suetonius, quòd *portum Oſtiæ extruxit, circunducto dextra ſiniſtráque brachio, & ad introitum profundo jam ſolo mole objecta, quam quò ſtabilius fundaret, navem ante demerſit, qua magnus obeliſcus ex Ægypto fuerat advectus: congeſtiſque pilis ſuperpoſuit altiſſimam turrim, in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes navigia dirigerent.* Quam rem etiam in numiſmatis effictam vidimus Patavii apud M. Antonium maximum antiquitatis amantiſſimum: & de qua turre meminit Strabo lib. *de ſitu orbis* xvij. & Plinius lib. xxxvj. cap. xij. quo loco de Pyramidibus Ægyptiorum ſcribit, Plinii ſunt verba, *Magnificatur & alia turris à rege facta in inſula Pharo, portum obtinente Alexandriæ, quàm conſtitiſſe DCCC. talentis tradunt: magno animo nequid omittamus, Ptolemæi regis, quod in ea permiſerit Soſtrati Gnidii architecti ſtructuræ ipſius nomen inſcribi. Vſus ejus, nocturno navium curſui ignes oſtendere, ad*

ad prænuntianda vada, portúſque introitum, ſicut jam tales complu-ribus locis flagrant, ut Puteolis aci Ravennæ, &c. Strabo dicto libro xvij. refert epigramma Soſtrati Gnidii de turri illa, quam ipſe Ptolemæi juſſu conſtruxerat in Pharo, quod tale eſt, *Soſtratus Gnidius Dexiphaniæ filius Diis ſalutaribus ob navigantes:* quod carmen Soſtratus (ut refert Politianus in præfatione in Suetonium) in ipſius muri lapide turris clàm incidit, calcem ſuperinducens, & nomen regis ſuperſcribens, fore auguratus (id quod accidit) ut haud multò pòſt literæ illæ cum lorica ſua defluerent & nomen regis diſperderetur. Soſtrati verò ſaxo inſculptum remanens appareret. Quod exemplum Scriptores imitari debent, ut non tantùm præſentis ſeculi applauſum captare leviſſimum quærant, ac de eo ſoliciti nimis ne ſint, quàm rem æternitate dignam, & quæ laudem perennem præſtare valeat, ſolido poſteritatis judicio peragere, ac ſibi in longum tempus proſpicere. De turre autem Phari meminit & Herodianus lib. 4. juxta principium, ubi de conſecratione Cæſarum differit. Sed jam alterum numiſma ejuſdem Cæſaris, ubi ſunt verba ANNONA AVGVSTI CERES. exponamus: inquit igitur Suetonius in *Nerone, Vt certiorem indolem oſtenderet, ex Auguſti præſcripto imperaturum ſe profeſſus, neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ ullam occaſionem omiſit, graviora vectigalia, aut abolevit, aut minuit, præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit, diviſis populo viritim quadragenis nummis. Senatorum nobiliſſimo cuique, ſed à re familiari deſtituto, annua ſalaria, & quibuſdam quingena conſtituit. Item prætorianis cohortibus frumentum menſtruúmque gratuitum:* & paulò pòſt, *Sparſa & populo miſſilia omnium rerum per omnes dies ſingula quotidie millia, aurum cujuſque generis multiplex penus, teſſeræ frumentariæ, veſtis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam manſuetæ feræ, noviſſimè naves, inſulæ, agri*, quæ quidem omnia annonam, & abundantiam, cornucopiæ deſignant. In tertio numiſmate, ubi fuerat quadriga cum inſcriptione, EVTYMIVS. ex Suetonio ſatis patet eum quadrigas rexiſſe, cùm dicat, *mox et ipſe aurigare atque etiam ſpectari ſæpius voluit.* Et alibi, *aurigavit quoque plurifariam, Olympiis etiam decemjugem, quamvis id ipſum in rege Mithridate carmine quodam ſuo reprehendiſſet: ſed excuſſus curru,*

Digitized by Google

ru, & repoſitus, cùm perdurare non poſſet, deſtitit ante decurſum, nec eo ſecius coronatus eſt: decedens deinde provinciam libertate donavit, ſimúlque judices civitate Romana & pecunia grandi. Hæc Suetonius. Quod autem in numiſmate ſit verbum EVTYMIVS, animadverte quæ ſuprà diximus in ſecuritate, nam *euthymius* ſecurus dicitur. In Numiſmate ubi ſunt ea verba, PACE P. R. TERRA MARIQ. PARTA JANVM CLVSIT. vel ut eſt in alio quod ſuprà ſcripſimus, P. R. VBIQ. PARTA JANVM CLVS. S. C. Hæc quidem Suetonius probat his verbis, *Janum geminum clauſit tam nullo, quàm reſiduo bello.* Auguſtus etiam, ut idem Suetonius ait, Janum Quirinum ſemel atque iterum à condita urbe ante memoriam ſuam clauſum, in multo breviori temporis ſpatio terra maríque Pace parta, tertiò clauſit. Quòd autem in Neronis nummo ſit imago cum cithara in manu, ipſe ſanè eſt princeps citharœdus, ut Juvenalis in octava ſatyra,

Res haud mira tamen Citharœdo principe natus
Nobilis.

Et paulò pòſt:

Et de marmoreo Citharam ſuſpende Coloſſo.

Sciendum Neronem conſuêſſe canere, ac ad citharam maximè, ut inquit Suetonius, *ſine mora nomen ſuum in albo profitentium citharœdorum juſſit adſcribi, ſorticuláque in urnam cum cæteris demiſſa, intravit ordine ſuo: ſimúlque Præfecti prætorii citharam ſuſtinentes,* &c. *Tragœdias quoque cantavit perſonatus, Heroum, Deorúmque item Heroidum atque Dearum, perſonis effictis, ad ſimilitudinem oris ſui, & fœminæ prout quanque diligeret. Inter cætera cantavit Canacem parturientem, Oreſtem matricidam, Oedipodem excæcatum, Herculem inſanum, Olympiæ quoque, præter conſuetudinem, muſicum agona commiſit, ſacras coronas in cubili circum lectos poſuit. Item ſtatuas ſuas citharœdico habitu, qua nota etiam nummum percuſſit.* Nihil *autem æquè doluit, quàm ut citharœdum malum ſe increpitum, ac pro Nerone Ænobarbum appellatum:* quod autem cithara maximè delectatus ſit, inquit & illud Suetonius, *Inter cæteras diſciplinas pueritiæ imbutus tempore, & muſica, ſtatim ut imperium adeptus eſt, Therpum citharœdum vigentem tunc præter alios, accerſiit*, & ea quæ ibi ſequuntur: ne huc totum Suetonium transferre videar, unum tantùm

tùm in hoc dixiſſe ſufficiat: inter familiares Græcum proverbium jactaſſe, *Occultæ Muſicæ nullum eſſe reſpectum.* In nummo, ubi eſt pennata ſeu alata Mulier cum corona in manu altera, in altera verò palmam habens, cum inſcriptione, VICTORIA AVG. hoc & comprobat Suetonius dicens, *Victorem autem ſe ipſe pronunciabat, qua de cauſa & præconio ubique contendit: inſtituit ſiquidem quinquennale certamen primùm omnium Romæ, more Græco triplex, Muſicum, Gymnicum, Equeſtre, quod appellavit* Neronia, ut etiam eſt videre in numiſmate, verbis Græcis ſcripto ΝΕΡΙΝΟΙΩΝ, & apii corona circundato, de qua corona Juvenalis in viij. ſic,

Hæc opera atque hæ ſunt generoſi principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita ſaltu,
Proſtitui, Grajæque apium meruiſſe coronæ.

Sed & Neroneum quoque menſem Aprilem de nomine ſuo appellavit, & Romæ Neroneum Agona ante præſtitutam diem revocavit, cùm magni æſtimaret cantare. Sed & Romam è Græcia reverſus eo curru, quo Auguſtus olim triumphaverat, & in veſte purpurea, diſtinctáque ſtellis aureis chlamyde, coronámque capite gerens Olympicam, dextra manu Pythiam, præeunte pompa cæterorum, cum titulis ubi, & quos, quo cantionum, quóve fabularum argumento viciſſet: ſequentibus currum ovantium ritu plauſoribus, Auguſtianos, militéſque ſe triumphi ejus, clamantibus, & reliqua. *Dedicavit & Thermas atque Gymnaſia, Senatui quoque & equiti oleum præbuit: magiſtros toti certamini præpoſuit conſulares ſorte, ſed prætorum deinde in orcheſtram ſenatúmque deſcendit, & orationis quidem certaminiſque Latini coronam de qua honeſtiſſimus quiſque contenderat, ipſorum conſenſu, conceſſam ſibi recepit. Citharam autem à Judicibus ad ſe delatam adoravit, ferríque ad Auguſti ſtatuam juſſit.* Et hæc quidem Suetonius, quæ hic volui ſcribere, ut non fruſtra coronam fuiſſe effictam in illo numiſmate quis exiſtimaret. Sed quòd alatam mulierem cum corona etiam in una manu, in altera palmam habentem aliud numiſma oſtentat, cum inſcriptione Græca hac, ΡΟΔΙΩΝ. hoc etiam ex Suetonio puto, nos addiſcere poſſe, ſi hic verba ſubſcripſero, *Apud eundem* (inquit) *conſulem pro Bononienſibus Latinè, & pro Rhodiis, atque Ilienſibus Græcè verba fecit.* Et alibi, *Matrem dicta factáque ſua exquirentem acerbius & corrigentem hactenus primò gravabatur, ut*

invidia identidem oneraret, quaſi ceſſurus imperio, Rodúmque abiturus. Hæc Suetonius, quæ ad hanc rem facere poſſunt. Sed hic illud animadvertendum eſt, ΡΟΔΙΩΝ per ω magnum ſecundo loco ſcribi: cùm Ρόδιος. κ. ὁ. hoc eſt *Rhodienſis* per *o* parvum ſcribatur apud Græcos. Sic & Ροδιὸς Fluvius. Sic & Ρόδον *Roſa*. Ροδών. ῶνος. ὁ. *roſetum:* per ω magnum autem ſcribi. Sed ego facilè crediderim Rhodienſes hunc nummum percuſſiſſe in adventum Neronis ad eos: ideo ΡΟΔΙΩΝ inſcripſiſſe, hoc eſt *Rhodienſium* & ideo per ω ſcriptum: Sed hæc ſatis. Nos enim in Philoſophiæ ſtudiis & penè in mediis lectionibus hujus anni, quæ ad Phyſica pertinent, occupati ac detenti, hoc qualecunque, lector optime, munuſculum donamus. Opuſculum enim hoc numiſmatum præter inſtitutum noſtrum elaboratum fuit. Cùm amici cujuſdam precibus ſimulque flagitationibus facere ſatis mihi opus fuerit, non ut ego idoneus huic provinciæ ſim, méque exiſtimem tam doctum, ut hæc obſcura ſigna, & hieroglyphica explicare facillimè valeam, cùm hæc non niſi à doctiſſimo, ac eruditiſſimo viro & in literis præſtantiſſimo explicari digna videantur & poſſint. Quid enim nos in Philoſophia occupati, hac in re inſigne præſtare poſſumus? cùm hæc ſtudia ſua etiam ocia & uberiora requirant, quàm à me exigi poſſint. Accipe igitur utcunque ea, quæ tibi damus, ſtudioſe lector, & benigno vultu hæc lege, illius ſententiæ memor, *Nullum eſſe librum tam malum* (quod dicere ſolitum Plinium accepimus) *ut non aliqua ex parte prodeſſe poſſit.* Ad hoc facit illud, quod Cor. Tacitus lib. xv. refert, *Neronem poſt excidium Romæ factum, condendæ urbis novæ & cognomento ſuo appellandæ gloriam quæſiviſſe,* ideo hoc in numiſmate ΝΕΡΩΝΙΩΝ adpoſitum crediderim. Idem refert eod. lib. habitu aurigæ permiſtum plebi Neronem, & circo inſiſtentem pœnis, tormentiſque afflictos Chriſtianos ſpectaſſe: ideò non mirum eſt ſi in numiſmate aurigæ habitu indutum aſpicias.

Refert idem Cor. Tacitus lib. xv. quòd verba Flavii vulgabantur, *non referre dedecori, ſi Citharœdus dimoveretur, & tragœdus ſuccederet: quia ut Nero cithara, ita Piſo tragico ornatu canebat,* habitu citharœdi ergo in numiſmate eſt videre.

Idem Tacitus dicto lib. in fine narrat, quòd decretum fuit à ſenatu poſt detectam conjurationem Neroni paratam: ut menſis Aprilis

Nero-

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

Neronis cognomentum acciperet: & hæc ratio fuit, quia Cerealia feſta, quæ V. idus Aprilis celebrari erant ſolita, eodem die Aprilis conjuratio in Neronem fuerat facta, à qua Nero incolumis evaſerat. Sed & templum Saluti extruxit eo loco ex quo Scevinus ferrum prompſerat: ideo ΝΕΡΩΝΙΩΝ adpoſitum numiſmati, & templum Salutis nummis ejus additum.

CLAVDII NERONIS GENIVS.

IN numiſmate quodam æreo, quod mihi dono dedit Theodorus à Sancto Georgio Caſalenſis, Blanderatenſiſque comes, Genius ità erat effictus. In primo orbe erat effigies Claudii Neronis Cæſaris, cum his verbis NERO CLAVD. CAESAR AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. PP. in altero verò orbe erat Genii ſigillum Juvenis militaris cum veſte ad cruris medium circunvoluta, dextra pateram in morem Sacrificantis. Foculus, ſeu ara extabat ſertis coronata, læva cornucopiæ habebat, cum hac epigraphe, GENIO AVGVSTI S. C. de Genio Neronis nihil apud Suetonium comperi: crediderim tamen populum Romanum ejus Genio ſacrificaſſe, vel potius quòd ipſe Nero Genio Octavii Auguſti Cæſaris rem ſacram fecerit, fierive mandaverit. Nam refert Suetonius Tranquillus in vita Auguſti, Athenis ædem Jovis Olympici antiquitus inchoatam quoſdam reges, & ſocios, & amicos Auguſti communi ſumptu deſtinaſſe perficere, ac ejus Genio dedicare. Genius ſerpentis imagine effingebatur. Hinc Perſius:

Pinge duos angues, pueri, ſacer eſt locus.

Coronabatur autem platani foliis, utpote arboris genialis. Nam ſunt quidam, qui velint etiam Lares, Genios dici, qui à Græcis etiam platani foliis ſolerent, teſte Plutarcho, coronari, ſicuti in Latio ſpicis & ariſtis. Apud Tibullum tamen Lares floribus coronantur ſic,

Rure puer verno primùm de flore coronam
Fecit, & antiquis impoſuit Laribus.

Genio ſacra fiebant mero & floribus. Perſius ſatyra ij. ad Macrinum,

Funde merum Genio, non tu prece poſſis emaci.

Horatius lib. ij. epiſtolarum,

Floribus & vino Genium memorem brevis horæ.

Genius in *Aulularia* apud Plautum ità loquitur:

Huic filia una eſt, ea mihi quotidie thure,
Aut vino, aut aliquo flore ſemper ſupplicat.

Servius interpres Virgilii doctiſſimus, ſuper illo carmine lib. v. *Aeneidos:*

Incertus Geniúmne loci, famulúmne parentis
Eſſe putet?

ait, *Genium eſſe putaverunt antiqui numen, quod nobis naſcentibus datur.* Perſius Poëta certè videtur ultima Satyra innuere, ideò ſacrificaſſe veteres Genio principis, propter victoriam habitam de aliquibus populis, hujus ſunt carmina,

O bone, num ignoras? miſſa eſt à Cæſare laurus
Inſignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis, & jam poſtibus arma,
Jam chlamydas regum, jam lutea gauſapa captis,
Eſſedaque, ingentesque locat Cæſonia Rhenos.
Diis igitur, Genioque ducis centum paria, ob res
Egregiè geſtas induco, quis vetat? aude.

De imagine autem ipſius Genii publici, qui apparuerit Juliano Imperatori cum cornucopiæ velata per aulæa triſtius diſcedente, vide Ammianum Marcellinum lib. xxv. & de Salutari Genio videto eundem lib. xvj. & xvij. de Genio Conſtantii Imperatoris, Socratis, & Scipionis, idem Ammianus meminit lib. xxj. & eodem lib. de Genii templo, ubi dicit, quòd Cal. Januar. aſcendente Juliano Imperatore per gradus ejuſdem templi, quidam ex illis lapſus animam efflavit, inſperato caſu, nullo eum percutiente. Apud Jurisconſultos lib. xij. *Pandectarum*, titulo *de jure jurando*, fit mentio de juramento per Genium principis, his verbis: Vlpianus: *Si quis juraverit in re pecuniaria per Genium principis, dare ſe non oportere & pejeraverit, vel dari ſibi oportere: vel intra certum tempus juraverit ſe ſoluturum, nec ſolvit: Imperator noſter cum patre reſcripſit, fuſtibus eum caſtigandum dimittere, & ita ei ſuperdici:* ΠΡΟΠΕΤΩΣ ΜΗ ΟΜΝΥΕ, id eſt *ne petulanter jurato.* Qua de re nos pueruli in noſtris

ſtris in jus civile exercitationibus, & enarrationibus impreſſis multa diximus. Suetonius Tranquillus in *Caligula* ait, *Multos à Caligula ſupplicio affectos, qui per ejus Genium pejeraverant.* In elogiis antiquis *æviternum Genium* legimus. Sic enim Romæ in marmorea tabula deſcriptum eſt D. POT. ET GEN. AEVIT. D. quod interpretari ad hunc modum poſſumus, *Diis potentibus, & Genio æviterno dicatum.* In marmore antiquo reperto inter teſtaceum, Aventinum, & Tyberim, ubi fuêre horrea P. R. CXL. hæc inſcriptio Genii fuit: NVM. DOM. AVG. SACRVM GENIO CONSERVATORI HORREORVM GALBIANORVM M. LORINVS FORTVNATVS MAGISTER. S. P. D. D. in alia parte eadem verba legebantur, niſi quòd loco *Genii* erat *fortunæ*, quod Marlianus annotavit in lib. *Topographiæ*. Genium autem in die natali apud veteres coli moris fuiſſe vel Tibullus poëta cultiſſimus his verſibus oſtendit lib. ij. Eleg. ij.

Ipſe ſuos adſit Genius viſurus honores,
Cui decorant ſanctas florea ſerta comas.
Illius è puro diſtillent tempora nardo,
Atque ſatur libo ſit, madeatque mero.

Et in primo libro, Eleg. vij. ad Bacchum loquens idem ſic cecinit,

Huc ades, & centum ludos, Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.
Illius & nitido ſtillent unguenta capillo,
Et capite & collo mollia ſerta gerat.
Sic venias hodierne Geni, dum thuris honores,
Liba & Mopſopio dulcia melle feram.

Sed de Genio plura Lilius Gregorius Gyraldus noſter in libris *de Diis gentium:* noſtra hæc nobis ſufficiant.

NERONIS ET DOMITIANI CAESARVM JVPITER CVSTOS.

EXTANT numiſmata quædam Neronis Cæſaris, & Domitiani, in quibus à tergo ita Jupiter eſt effictus: in ſolio ſedet, dextera fulmen habet, læva haſtam cum hac inſcriptione, JVPITER CVSTOS. Domitianus (ut aſſerit Suetonius cap. v.) Novam excitavit ædem in Capitolio cuſtodi Jovi, ſeque in ſinu ipſius Jovis, ut inquit Marlianus, ſacravit. Qua de re etiam meminit Cornelius Tacitus, lib. xix. ubi Capitolium deſcribit à Vitellianis captum. Quare autem Jovi fulmina aſſignentur, rationem ponit Plinius lib. ij. cap. xx. *Natural. hiſtor.* dicens, *Supernorum trium ſyderum ignes eſſe, qui decidui ad terras fulminum nomen habeant: ſed maximè ex his medio loco ſiti: fortaſſis quoniam contagium nimii humoris ex ſuperiore circulo atque ardoris ex ſubjecto, per hunc modum egerat. Ideóque dictum Jovem fulmina jaculari.* Quòt Jovi fulmina attributa fuerint, indicat idem Plinius dicto lib. ij. cap. lij. ubi ſcribit quòd Thuſcorum literæ novem deos emittere fulmina exiſtimant, eáque eſſe undecim generum, Jovem enim tria jaculari, Romani duo tantùm ex his ſervavêre, diurna attribuentes Jovi, nocturna Summano. Rariora ſanè eadem de cauſa frigidioris cœli. Addit etiam idem Plinius lib. ij. cap. lv. *rei natural.* ideo aquilam fulmini adjungi & aſſociari, hujuſque teli armigerum fingi, quòd aquila è cunctis volucribus à fulmine non tangatur. Ideo in quibuſdam numiſmatibus perantiquis aquila ſub pedibus fingitur habere fulgur ſeu fulgetram: hinc & hodie hac (ut puto) de cauſa in nummis argenteis ſeu dimidiatis aureis Caroli v. Cæſaris noſtri, aquilam cum fulmine, & mundo ſub pedibus effingi videmus: fulmen etiam (ut idem Plinius dicit ibidem) fruticem lauri non icit, nec unquàm altius pedibus quinque deſcendit in terram, nec è pellibus belluarum vitulos marinos percutit.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google

CONGIVS



Digitized by Google

Digitized by Google


Pag.79.
CONG·II DAT·POP·
S C
CONGIAR·PER·PR·IMP·DAT.
S C

NERONIS ET VESPASIANI CONGIARIA 2.

IN NERONIS Imperatoris duobus argenteis numiſmatibus erat inſcriptio, CONGII DAT. POP. In Titi Veſpaſiani aureo numiſmate, qui amor & delitiæ humani generis dictus fuit, erant hæ notæ, CONG. TER. P. R. IMP. DAT. Suetonius in Nerone hæc quidem pro eo refert: deductus in forum Tyro, populo congiarium, militi donativum propoſuit: de Tito nihil apud Suetonium eſt quod ad congiaria pertineat: ſolum id, illum dediſſe congiaria teſtari poteſt: *quòd nulli civium quicquam ademit: abſtinuit alieno, ut ſi quis unquam, ac ne conceſſas quidem ac ſolitas collationes recepit: & tamen nemine ante ſe munificentia minor:* innuit enim quaſi his verbis Tranquillus, eum liberaliſſimum fuiſſe, ut etiam ſuperiores Cæſares liberalitate vicerit: ſicque Populo quod alii dederunt, illum & dediſſe, imò & plura: ſed & alii Cæſares (quanvis adhuc in eorum numiſmatibus congiaria videre nobis non contigerit) Populo congiaria tribuerunt, inter quos optimus & primus C. Julius Cæſar, teſte Suetonio, populo impertitus eſt: his verbis, *Populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, tricenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim diviſit, & hoc amplius, centenos pro mora. Annuam etiam habitationem Romæ uſque ad bina millia nummûm in Italia non ultra quingenos ſeſtertios remiſit: adjecit epulum ac viſcerationem, & poſt Hiſpanienſem victoriam duo prandia. Nam cùm prius parce, neque pro liberalitate ſua præbitum judicaret, quinto pòſt die alium largiſſimum præbuit.* In epiſtola Cœlii M. Ciceroni ſcripta de Congiario ea ſunt verba, *Plancus quidem tuus Ravennæ eſt, & magno congiario donatus à Cæſare, nec beatus, nec bene inſtructus eſt.* Sed de Auguſto, qui Octavius nominatus eſt, idem Suetonius ait, *Congiaria populo frequenter dedit ſed diverſæ ferè ſummæ: modò quadringenos, modò tricenos, nonnunquam ducenos, quinquagenóſque nummos, ac ne minores quidem pueros præteriit, quanvis non niſi ab undecimo ætatis anno accipere conſueſſent. Frumentum quoque in annonæ difficultatibus ſæpe leviſſimo, interdum nullo pretio viritim admenſus eſt, teſſeráſque nummarias duplicavit:* & paulò pòſt, *Eidem populo promiſſum quidem congiarium repoſcenti, bonæ fidei ſe eſſe reſpondit:* & ibi iterum de

con-

congiario, & ibi: *ſpectavit & exercentes ephebos, iiſdem etiam epulum in conſpectu ſuo præbuit, permiſſa, imò exacta jocandi licentia, diripiendique pomorum & opſoniorum rerumque miſſilium.* Sed & Caligula, quanvis omnium ferarum crudeliſſimus congiaria præbuit, inquit Tranquillus: *Congiarium populo bis dedit tercenos H-S toties abundantiſſimum epulum ſenatui, equeſtrique ordini, etiam conjugibus, ac liberis utrorumque poſteriore epulo, forenſia inſuper viris, pueris, ac fœminis faſcias purpuræ, ac conchylii diſtribuit, & ut lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adjecit diem Saturnalibus, appellavitque Juvenalem.* Divus Claudius Cæſar, ipſe etiam congiaria populo ſæpius diſtribuit, eodem Tranquillo authore. Veſpaſianus Coloſſi refectorem inſigni congiario, magnáque mercede donavit. Apollinari tragœdo quadraginta, Pterino, Diodoróque citharœdis ducena, nonnullis centena, quibus minimum, quadragena ſeſtertia ſuper plurimas coronas aureas dedit, ſicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita & calendis Martii fœminis, explevit etiam cenſum ſenatorium: conſulares inopes quingenis ſeſtertiis annuis ſuſtentavit: ſed ut jam Cæſarum xij. in uno Flavio Domitiano Cæſare concludamus liberalitatem congiariorum, verba Tranquilli de eo referamus: *Congiarium populo nummorum trecentorum ter dedit, atque inter ſpectacula muneris largiſſimum epulum. Septimontiali ſacrorum quidem die, ſenatui, equitique panariis, plebejis, ſportellis cum obſonio diſtributis, initium veſcendi primus fecit: diéque proximo omne genus rerum miſſilia ſparſit: & quia pars major intra popularia deciderat, quinquagenas teſſeras in ſingulos cuneos equeſtris ac Senatorii ordinis pronunciavit:* & hæc quidem Suetonius de congiariis: quæ omnia hunc in unum locum congeſſiſſe volui, cum aliorum hiſtoricorum libros ad manus nunc habere facultas non detur: nam meam integram bibliothecam in patria retineo: non me fugit enim Titum Livium, & Tacitum, Plinium, Plautum, & Ælium Spartianum, Julium Capitolinum, Ælium Lampridium, hujuſmodíque authores de his rebus, quæ ad congiaria pertinent, ſæpe loqui. Nunc tamen cum illos non habeam, ut certos locos adducere queam, lectorem non pigebit per ſe illos videre: ſat fuit in præſentia omnia Suetonii ad hanc rem exempla citaſſe: ut tamen & juriſconſultos, quorum textus habeo ad manum,

manum, non ſolùm advocatis & leguleis prodeſſe, ſed etiam bonarum literarum ſtudioſis, & antiquitatis amatoribus plurimum conferre, ſciant omnes, eos adducere mihi videtur eſſe operæpretium. In primis ſe offert Paulus Juriſconſultus antiquitatis peritiſſimus *Digeſtorum* li. xxxiij.cap.*de inſtru.*vel *inſtrum.legato:* ubi ſic ait: *Videndum ne inter inſtrumentum tabernæ & inſtrumentum cauponiæ ſit diſcrimen, ut tabernæ non niſi loci inſtrumenta ſint, ut doliaria vaſa, vectiones, ancones, calices, & trullæ, quæ circa cœnam ſolent trajici: item urnæ æreæ, & congiaria & ſextaria, & ſimilia:* ſed videamus quid de congiariis idem Paulus lib. xxx. *digeſtorum* cap. *de legatis & fidei commiſſ.* primò dicat. Licet congiarii nomen non pronunciet, his tamen verbis ſubintelligit: quæ quia ad antiquitatem mirum in modum faciunt, hic omnia, licet prolixiuſcula, placet referre. *Civitatibus* (inquit Paulus) *etiam legari poteſt, quod ad honorem ornatúmque civitatis pertineat, ad ornatum, puta quod ad inſtruendum forum, theatrum, ſtadium, legatum fuerit: ad honorem puta quod ad edendum munus, venationem, ludos ſcenicos, ludos Circenſes, aut quod ad diviſionem ſingulorum civium, vel epulum relictum fuerit: hoc amplius, quod in alimenta ætatis infirmæ (puta ſenioribus, vel pueris, puelliſque) relictum fuerit: ad honorem civitatis pertinere videtur:* & hæc quidem Paulus: cujus verba ſi conferas cum his, quæ ex Suetonio retulimus, omnia belliſſimè facient, & congiaria eſſe intelligentur. Nunc quia ſuperius de donativo mentionem fecimus, ſcias velim, donativum eſſe principis largitionem in milites, id eſt, λαμπρὰ δόσις, quæ eadem in populum facta, congiarium dicitur. *Donarium* autem eſt ἀνάθημα qualia videntur in fanis. Tranquillus in *Caligula: Pronunciatóque militi centenis viritim denariis, quaſi omne liberalitatis exemplum ſupergreſſus, Abite, inquit, læti, abite locupletes:* primus autem Claudius Auguſtus inſtituiſſe ab eodem dicitur, ut Imperatores Romani in auſpicatu imperandi donativum militibus pronunciarent: ſed ut jam aliqua de menſuris, quæ circa congiaria ſpectant dicamus, operæpretium erit hic referre menſuras. Nam loqui de congiariis, & neſcire quid eſſet, fruſtra hic ſcripſiſſemus de illis: nec erit modica utilitas ad pernoſcendum ea, quæ dixit Suetonius. Imprimis igitur ſciendum eſt congiarium fuiſſe munus, quod à Cæſaribus populo Romano dabatur, & amicis, quod

Digitized by Google

Fabius Quintilianus his verbis declarat, quæ ſunt in ſexto *de inſtitutione oratoria: in metalepſim quoque eadem ratio dictorum, ut Fabius Maximus incuſans Auguſti congiariorum, quæ amicis dabantur exiguitatem, heminaria eſſe dixit. Nam congiarium commune liberalitatis, atque menſuræ à menſura dicta imminutio eſt rerum.* Hæc Fabius. Ut enim donativum dicitur munus, quod militibus datur, ita congiarium, quod amicis, vel populo: opinor autem inde dictum, quod primo congii vini, vel olei dabantur: deinde res aliæ dari cæptæ eadem manente appellatione. In quadam memoria antiqua, quæ in marmore extabat, quam mihi Vicentius Catus Vicentinus amicus meus dono dedit, hæ certè notæ fuerunt: CONG.  VINI. CONG.  OLEI. Suetonius in *Cæſare* dictatore quidem congiarium nominat his verbis, ne id & omittam: *omnibus circa eum, atque etiam parte magna ſenatus, gratuito aut levi fœnore obſtrictis, ex reliquo quoque ordinum genere, vel invitatos, vel ſponte ad ſe commeantes uberrimo congiario proſequebatur.* Sed jam ad menſuram congii perveniamus: congius ſextarios capit ſex, quod indicat Voluſius Mætianus in libello *de diſtributione menſurarum*, idque notis ponderum, cum ait, *Quadrantal habet congios octo, ſextarios octo & quadraginta, nam octies ſex conſtituit octo & quadraginta:* hinc ſextario nomen inditum, ut Fannius his verbis aperit:

A quo ſextarii nomen feciſſe priores
Crediderim, quòd eos capiat ſex Congius unus.

Sed Marci Catonis *de re ruſtica* oſtendunt verba quoque congium ſex eſſe ſextariorum: ea ſunt capite ſeptimo, & quinquageſimo, ubi ſtatuit, quantum vini ſit familiæ bibendum: *Menſe ſexto, ſeptimo, octavo in dies ſextarium unum.* Deinde id ipſum declarans addit in menſe congios quinque: cùm enim menſes ferè triginta dies habeant, & ſingulis diebus bibatur ſextarius, fiunt triginta ſextarii, qui quinque efficiunt congios. Hunc locum doctè explicavit Budæus in libro *de Aſſe*, ex hiſdem autem verbis quiſque intelligere poteſt, congium liquidi menſuram eſſe, tum etiam his Livii, quæ ſunt lib. v. & xx. ab urbe condita, ſi rectè recordor, *& congii olei in vicos ſingulos dati*: ſed hoc loco præſtabit (ut credo) ſummam rationem menſurarum à doctiſſimo viro Gulielmo Phylandro, Gal-

lo,

lo, cive Romano in lib. vj. annotationum ſuarum in Vitruvium paucis complexam referre : *culeus igitur amphoras xx. capit, id eſt, libras menſurales mille ſexcentas. Amphora urnas duas, id eſt, libras octoginta. Urna congios quatuor, id eſt, libras quadraginta, congius ſextarios ſex, id eſt, libras x. Sextarius heminas duas, id eſt, libram & beſſem, id eſt, uncias xx. hemina, quæ & cotyla quartarios duos, ideſt uncias x. Quartarius acetabula duo, id eſt, uncias v. Acetabulum ſeſquicyathum, uncias duas cum dimidia. Cyathus ligulas ſive cochlearia quatuor, id eſt, ſeſcunciam, drachmam & ſcrupulum*, & hæc quidem Phylander: ſed ex Georgio Agricola accepta, lib. j. *de menſuris Romanorum*. Nunc videamus capacitatem congii ex ipſo Georgio Agricola: *congius*, inquit ille, *capit ſextarios vj. Heminas xij. Quartarios xxiiij. Acetabula xlviij. cyathos lxxij. ligulas cclxxxviij. chus, qui choeus Græcè quoque dicitur, eſt idem qui congius apud Romanos: ſex continet ſextarios*, quod Cleopatra declarat, cujus pauca quædam de menſuris, & ponderibus, ſed valde docta extant ex libris κοσμητικοῖς excerpta, quos Alciatus in Latinum tranſtulit, unà cum Galeni libello *de ponderibus, & menſuris*: ſunt autem ejus verba: ὁ χοῦς ἔχει μέτρῳ μὲν κοτύλας δώδεκα, ξέστας δὲ ἕξ. hoc eſt, *chus quidem habet menſura cotylas Atticas xij. ſextarios verò ſex*, vel, ut vertit Alciatus, *chus, id eſt, congius menſura quidem heminas Atticas xij. habet, ſextariorum dimidio minus*: nempe ſex, chœnicas 4. pondere verò drachmas 720. Dioſcorides de vino, quod ex palmis fit ita ſcribit: ἐπίχει δὲ τοῖς δέκα χοίνιξιν ὕδατος χόας γ. id eſt, *infunde ad chœnicas x. aquæ congios tres*. quem locum Plinius li. xiiij. cap. xvj. eſt imitatus: ſed & carmina Fannii idem de choa, ſive chu oſtendunt:

Heminas recipit geminas ſextarius unus.
Adde duos chus fit vulgò, qui eſt Congius idem.

Derivatus autem χοῦς ſive χόας videtur ἀπὸ τοῦ χεῖν, quod eſt *fundere*, nam vaſis genus etiam ſignificat, quo aqua hauſta fundebatur: & eſt menſura humidi: ſed tranſeamus ad eam menſuram congii, quæ in ſe minores continet apud Græcos: chus igitur capit ſextarios vj. cotylas xij. Quartarios xxiiij. oxybapha xlviij. cyathos lxxij. conchas cxliiij. Myſtra cclxxxviij. chemas ccclx. cochlearia dccxx. chus autem georgicus capit xij. cotylas georgicas, quæ efficiunt

ciunt ix. ſextarios: chus verò medicus xij. cotylas novem unciarum, quæ ſex conſtituunt ſextarios. Novem autem ad ſex proportionem habent ſeſquialteram. Africanus colligit choa liquoribus repletum idem pendere, quod Fannius, nempe vini libras x. olei ix. mellis xv. & cætera: congius igitur capit libras x. pendet octo & uncias quatuor, ut ſuprà etiam annotavi. Nunc congii menſuram Romanam vino repletam tibi declarabo. Congius oleo ut vino plenus pendet olei libras viij. & uncias iiij. vini ix. libras, & uncias tres, ſcriptula duo: ſiliquas quatuor & grana duo: chus olei (nunc Atticam declaro) pendet libras 7. cum dimidia: vini libras octo & uncias quatuor. Georgici congii menſura, quæ dicitur chus, olei pendet libras xj. & uncias iij. vini verò xij. cum dimidia. Nunc mellis Romani pondus, quod ad congium ſpectat dicamus: congius vini pendet libras ix. uncias iij. ſcriptula duo cum dimidio, ſiliquam unam, grana duo, mellis libras xiij. cum dimidia: uncias quatuor, drachmas quinque, ſcriptulum unum: jam Atticas quoque menſuras congii exponam. Chus vini pendet libras viij. uncias quatuor, mellis libras xij. cum dimidia. Georgicorum chus vini pendet libras xij. cum dimidia, mellis xviij. & ix. ſed adverte, quòd nonnulli Græci uſi ſunt Romanis menſuris, & ideo dicunt ἰταλικὸν κεράμιον, id eſt, amphora Italica ὖρνα, id eſt, *urna*, κόγγιον, id eſt, *congius* Græcus cum Romanis. Nam congius olei pendet libras ix. vini x. mellis xv. interim illud non præteribo hoc loco quod Georgius Agricola monet: vinum oleo gravius eſſe nona parte, & mel rurſum vino gravius tertia. Sed jam his declaratis, hic notam congii ex Voluſio Mætiano Jureconſulto appoſuiſſe non omnino fuerit inutile, ut extra alias menſuras hanc congii noſcamus. Hæc igitur & hujuſmodi fuit nota ſic ſignata Ͼ. & hæc quidem de congiariis dixiſſe ſufficiat.

VE-

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

VESPASIANI AVGVSTI PAX.

PACEM in numiſmate Veſpaſiani effictam ſic vidi, Alatam mulierem ſtantem cum corona myrtea, ſeu oleaginea in dextra, in læva palmam habentem his literis: PACI AVGVSTAE. Suetonius in *Veſpaſiano* de pace his verbis meminit, *Fecit & nova opera, templum Pacis foro proximum, divíque Claudii in Cælio monte, cæptum quidem ab Agrippina, ſed à Nerone prope funditus deſtructum.* Fuit templum Pacis, eo loco, ubi Julii dictatoris neptis Julia domum ſat profuſè exſtruxerat, quæ prius via publica dicebatur, ſeu ſacra via. Juliæ illam domum ad ſolum diruit Auguſtus, ibíque porticum Liviæ à Livia Druſilla ejus uxore cognominatam, excitavit. Joſephus (ut Marlianus refert) ſcribit, quòd poſt triumphum, & Romani imperii firmiſſimum ſtatum, Pacis templum Veſpaſianus ædificaverit: in quo (ut ait Divus Hieronymus) idem Veſpaſianus vaſa, & ornamenta templi Hieroſolymitani triumpho TITI advecta repoſuit, univerſáque conſecravit donaria, Venerémque dicavit: in eodem fuit heros abſolutiſſimi operis à Thimante, Hylaſiúſque à Protogene: atque Sylla à Nicomacho, pictura expreſſi. Gellius (ut refert idem Marlianus) opinatur epiſtolas Aſinii Capitonis, viri doctiſſimi, in eodem templo fuiſſe: de Venere, quam dedicavit Veſpaſianus templo Pacis, meminit Plinius lib. *Natural. hiſtor.* xxxvj. cap. v. his verbis, *Qua de cauſa ignoratur artifex ejus quoque Veneris, quam Veſpaſianus imperator in operibus Pacis ſuæ dicavit, antiquorum digna fama.* Scribit Herodianus lib. I. Commodo imperante Pacis templum incendio conſumptum, illúdque ſupra cætera maximum fuiſſe ædificium, id quod univerſi quaſi in theſaurum divitias ſuas congerebant: in Domitiani numiſmate effictam pacem hoc pacto vidi, Erat mulier ſtans cum face ardenti in manu dextera quædam veluti bellica arma comburente: in læva cornucopiæ habens his verbis: PACI AVGVS. S. C. quæ quidem omnia Pacem deſignant. Hoc loco libet duo epigrammata, alterum ex emblematis Alciati deſumptum, alterum ex verbis Molſæ electum ſubſcribere: ex quibus Pax perbellè deſcribitur. Alciati quidem noſtri hujuſmodi eſt:

EX BELLO PAX.

En galea, intrepidus, quam miles geſſerat: & quæ

Sæpius hoſtili ſparſa cruore fuit.
Parta pace apibus tenuis conceſſit in uſum
Alveoli: atque favos grataque mella gerit.
Arma procul jaceant: fas ſit tunc ſumere bellum:
Quando aliter pacis non potes arte frui.

Ponit alia duo emblemata ad pacem pertinentia idem Alciatus, quæ ſciens omitto, cùm unuſquisque illuc recurrere poſſit: hic ſatius erit Marii Molſæ elegantiſſimum epigramma ex Græcis deſumptum (ut puto) ſubdere,

Ferrea roſtra olim preſſis erepta carinis,
Quæ Nili fractas teſtificamur opes.
Ecce apibus pandas parcis præpandimus aulas.
Congeſto redolent (quis putet) æra thimo.
Cæſaris hæc ingens laus eſt, quo vindice, Pacis
Jucundos fructus arma inimica ferunt.

Libet etiam hoc loco, Benedicti Acolti Cardinalis cultiſſimum epigramma ad Pacem ſcriptum ſubdere,

Reſtituis feſſis quòd te, Pax aurea, rebus,
Cultaque divulſis litibus arva nitent.
Turba tibi hæc meritò ſæpè lætiſſima fundit,
Et premit agreſtes fronde revincta comas.
Quaque oleæ ramos jungunt felicibus umbris,
Antiquis renovat ſacra probata viris.
Tu bona ſis, faciliſque piis adlabere donis,
Moxque tuo auſpicio candidus annus eat.

Pacis duo numiſmata, quæ fuerant Neronis ſic efficta vidi, mulierem alatam caduceum habentem in altera manu vergentem ad terram in anguem ibi poſitum, in altera manu habentem neſcio quid è collo propendens, cum his notis, PACI AVGVSTAE. vidi in numiſmate Galbæ ſic effictam mulierem ſtantem cum oliva in manu dextra, in ſiniſtra verò caduceum habentem, cum hac inſcriptione, PAX AVGVSTI S. C. In Vitellii numiſmate vidi mulierem ſtantem cum ramo olivæ in manu dextra, in ſiniſtra cornucopiæ geſtantem, cum hac epigraphe: PAX AVGVSTI. S. C. Quæ omnia ſigna ex mirabili illa diuturna Octaviani Auguſti, terra, marique pace parta profluxiſſe exiſtimo, cùm tertiò Janum clauſiſſet: illud non

non omittendum hoc loco, ſic & effictam fuiſſe pacem, ut puerum Plutum manu geſtaret, quod in Titi Veſpaſiani nummo æreo aliquando apud Decianum Jureconſultum celeberrimum vidi. Quod ſymbolum videri poteſt, non ex bello, ſed ex pace divitias, & opes comparari: effingebatur etiam pax cum ſpicis, quod & Tibullus noſter cultiſſimus poëta, his verbis, quibus pacem laudat, oſtendit.

Interea Pax arva colat, Pax candida primùm
Duxit araturos ſub juga curva boves.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit uvæ,
Funderet ut nato teſta paterna merum.
Pace bidens, vomerque viget, at triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.
At nobis Pax alma veni, ſpicamque teneto,
Perfluat & pomis candidus ante ſinus.

Vidi eo pacto quo Tibullus pingit ſic effictam pacem, ut eſſet capite compto mulier palliata, dextera ſpicam & papaver, læva copiæ cornu geſtans colligendo ſinus pomis perfluentibus.

Nonnunquàm lauro, & roſa coronabatur Pax, ut in aliquibus veterrimis nummis vidimus. Sed qui cupit etiam Thuſca lingua concionem de Pace legere, is adeat orationem de Pace clariſſimi viri Claudii Ptolemæi. Ariſtophanis etiam extat comœdia, Græca, cui titulus eſt, *Pax*. Caſſiodorus etiam libro I. *Variarum* hæc in laudem Pacis affert: *omni quippe regno deſiderabilis debet eſſe tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & utilitas gentium cuſtoditur. Hæc enim eſt bonarum artium decora mater. Hæc mortalium genus reparabili ſucceſſione multiplicans, facultates protendit, mores excolit, & tantarum rerum ignarus agnoſcitur, qui eam minimè quæſiſſe ſentitur.* Sed quis magis commendavit gentibus pacem, quàm ſervator noſter Jeſus Chriſtus? qui pacificos vocat beatos, qui jubet, ut in quancunque domum introierimus, pacem illi domui dicamus: qui pacem nobis relinquit, qui pacem dat cunctis, non ut dare ſolet mundus, qui natus homo, ut hominibus bonæ voluntatis pacem afferret & gloriam in excelſis Deo tribueret: utque humanam naturam cum divina, interjecta pace, conglutinaret, ſimúlque nos Deo copularet. Sed de Pace hæc dixiſſe ſufficiat.

NER-

NERVAE CAES. AVGVSTI VEHICVLATIO ITALIAE REMISSA.

TIBERIVS Decianus I. C. clariſſ. Forojulienſis, oſtendit mihi, cùm eſſem Patavii, ubi ille jus civile tum profitebatur maximo cum honore, numiſma æreum vetus pulcherrimum, in cujus primo orbe erat Nervæ Imperatoris facies cum hoc titulo IMP. NERVA CAESAR AVG. P. M. TRIB. COS. II PP. à tergo autem erant duæ mulæ ſine ullo onere liberæ paſcentes cum jugo appenſo, his notis literiſque, VEHICVLATIONE ITALIAE REMISSA. apud Dionem Græcum ſcriptorem, qui ejus Imperatoris vitam ſcripſit, nihil de hac re legi: niſi quòd equorum ſuſtulerit curſus: quod tamen ad hanc rem nihil facit, curſus enim illi equorum potuerunt eſſe ludi, vel aliud quid ſimile. Hoc autem de vehiculatione (quod tributum quoddam fuiſſe ſuſpicari licet, quod principi pendebatur, ut rhedarium, ut eſt in jure, & jugum) id puto illud eſſe, quod Julius Capitolinus in *Antonino Pio* dicit: quod ſcilicet Antoninus Pius inter cætera beneficia, quæ Reip. Romanæ contulit, illud fuit, quòd Vehicularium curſum ſumma diligentia ſublevavit. Ælius Spartianus in *Adriano* ait, Adrianum curſum fiſcalem inhibuiſſe. Sed an ad hoc faciat, non ſatis mihi liquet: hinc etiam temonarium inductum fuiſſe crediderim, quod tributi genus quoddam ſit, quod à Juſtiniano in codice refertur l. *Senatorum ſubſtan. de dignitatibus* lib. xij. C. & l. *jubemus. de proximis ſacrorum ſcri.* & l. *de cubiculis. de privil. eorum, qui in ſacr. pal. mil.* C. libro xij. & ſi aliqui *Telonarium* legant, quod non renuo, ego tamen de Temonario aliàs in meis juriscivilis exercitationibus plenius diſſerui, cum Accurſio ſentiens: & ſi de teloniis vectigalibus in lib. ij. feudorum ſcio fieri mentionem, ubi de regaliis agitur, ubi hæc ſunt verba, *vectigalia, quæ vulgò dicuntur Telonia:* quod autem ſupra de jugo dixi, idem puto eſſe quod temonarium onus, nempè tributum: quod Ammiano Marcellino traditur, & à divo Majoriano in lib. *novellarum legum*, titulo primo refertur, ubi exigi omnem canonem per rectores provinciarum, binos per jugum vel millenos ſolidos, & ſemiſſem ſolidi per ſingula juga præcipit. *Carrucarium* etiam vectigal memini me legere aliquando in jure, ſed nunc non ſubit memoriæ



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V. E.
ROMA

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google

Pag. 89.



Digitized by Google

næ locus. Voluit igitur intelligere Nerva per illas Mulas liberè paſcentes, quòd onera illa, quæ per vehicula ſolerent ſolvi, ſuſtuliſſet, ac Rempublicam liberaſſet ab illo canone: nec video cur aliqui malint ibi in illo nummo Nervæ fuiſſe equas, cùm mulas fuiſſe conſtans ſit opinio: à quibus tamen non diſſentio. Æneam tamen Vicum Parmenſem, ſummum antiquarium habeo mecum ſentientem hac in re, in eleganti numiſmatum veterum libello, quem ſuperioribus annis edidit materno ſermone, Italicáque lingua ſcriptum ad Coſmum Medicem Florentinorum Ducem: ſed quòd ſuprà de Teloneo mentionem feci, de eo agit Caſſiodorus lib. v. *variarum*, quo loco Theodoricus Rex Ampelio & Liveriæ ſcribit: ubi mandat Telonei canonem nulla uſurpatione confundi debere: ibi etiam de aſſe publico, & Canone Tranſmarianorum agit, & de Monetariis.

C. VIBII, ET CN. PANSAE JVPITER AXVR.

ARGENTEVM nummum oſtendit mihi Franciſcus Novellius Placentinus imagine Jovis Anxuris effigiatum ab una parte cum duplici titulo IOVIS AXVR. C. VIBIVS C. F. C. N. erat autem barbata ac intonſa, in altera parte erat facies barbata ac galeata vultu torvo his notis PANSA. Imago Jovis erat ſtrati cum haſta in dextra manu, in ſiniſtra poculo quoddam ſimile habens. Hoc ideo lubentius numiſma placuit hic nobis inſerere, ut ſtudioſi humaniorum literarum videant, ſæpius authores in his decipi, quæ ad antiquitatem ſpectant. Anxurus igitur Jupiter ita fertur cognominatus in Italia, in tractu Campaniæ, habitu pueri imberbis: cujus mentio eſt etiam Virgilio Poëtæ in vij. circa finem:

Circæumque jugum queîs Juppiter Anxurus arvis
Præſidet.

Quo loco doctiſſimus interpres Maurus Servius *circa tractum* ait *Campaniæ colebatur puer Jupiter, qui Anxurus dicebatur, quaſi* ἄνευ ξυρῦ, id eſt, *ſine novacula: quia barbam nunquam raſiſſet*, videant modò peritiores viri, an id Servianum ſit verum, cùm in numiſmate Jovis Anxuris fuerit barbata facies, & id magis ſpectet ad Phœbum & Bacchum, quorum æterna juventa ut Tibullus ait,

Solis æterna eſt Phœbo, Bacchoque juventa,
Nam decet intonſus crinis utrunque Deum.

Aut igitur dicendum eſt barbatum quidem fuiſſe, ut & numiſma oſtendit, ſed nunquam raſiſſe barbam, ideò juvenem Deum, aut erit intelligendum, ſi fuit puer, nunquam raſitaſſe barbam, quia imberbis fuerit, quod numiſma facie barbata fictum negat, quod etiam numiſma diademate coronatum capitulum habuit. Fuit & Anxur urbs Trachina nunc *Terracina* dicta, Volſcorum enim lingua, ut ait Plinius lib. iij. cap. 4. Terracina *Anxur* dicitur: hæc ſupra flumen Vfens eſt poſita Circæo promontorio proxima intra ſtadia C. antea Trachina, id eſt aſpera vocata ex eo, quod ei obtigit, eidemque objecta palus eſt ingens, quam duo amnes efficiunt, è quibus majorem Auphidum appellant. Hæc Strabo lib. v. *de ſitu orbis.* Terracinam autem Ptolemæus lib. iij. *Geographiæ*, tab. vj. in Europa collocat juxta promontorium Circæi, grad. 37. $\frac{11}{12}$ 41 $\frac{1}{4}$ de Anxure verò Martialis ſic meminit:

Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis.

Horatius lib. j. *Sermonum* Satyr. v.

Millia tum pranſi tria repſimus, atque ſubimus
Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.

Jovis autem imberbis ſtatuam in Olympia fuiſſe refert Pauſanias in *Eliacis* lib. v. Sed & barbatum Jovem nominat Juvenal. *ſatyra* vj.

Aut aliqua extiterant, & ſub Jove, ſed Jove nondum
Barbato.

Quo carmine videtur fuiſſe prius imberbem, deinde evaſiſſe barbatum ſuccedente ætate ferrea. Sed illud hoc in nummo animadvertendum eſt, proſtratam Jovis ſtatuam eſſe, cùm ſtantes ſtatuas Jovi cæteríſque cœlitibus quàm excelſiſſimas fieri præcipiat Vitruvius lib. iiij. cap. viij. cæteris verò ut Veſtæ, Terræ, Maríque humiles tanquam Diis terreſtribus. Hinc illud eſt, quòd in Pantheo Agrippæ templo fuiſſe refert Plinius, Herculem humi ſtratum, ad quem Pœni omnibus annis humana ſacrificarent victima, & Minervam ex ebore, opus Phidiæ. Sed hoc in nummo fortaſſe fluminis proſtrata ſtatua eſt. Nam ſic Romæ vidimus in hortis pontificum Nilum, & in Capitolio Tyberim humana forma proſtrata ſimulachra, quæ urnam habent ſubtus in ſimilitudinem aquas evomentem. Sic enim

mos

Digitized by Google

mos veterum fuit urnas addere fluminibus: & in hoc certè nummo urna adparet, quæ fluminibus indi ſolet: ſic Dinocrates Architectus (ut refert idem Vitruvius lib. 2. cap. 1.) Alexandro Regi Athon montem in virilis ſtatuæ figuram formavit, cujus manu læva deſignavit civitatis ampliſſimæ mœnia, dextra pateram ſeu urnam, quæ exciperet omnium fluminum, quæ ſunt in eo monte, aquam, ut inde in mare profunderetur. Sed quia ſuprà incidi in mentionem de Phœbi & Bacchi juventute, libet in ſtudioſorum gratiam quid ſignificet allegoricôs, hoc loco exponere, ut & Alciati noſtri viri undecunque doctiſſimi carmen in Emblematis exponatur. Phœbus igitur & Bacchus ſemper individui fratres ſunt, ambo idem ferè ſunt, Phœbus quidem eſt ipſa Sphæræ illius anima. Sphæra verò Bacchus, imò & Phœbus eſt totus ipſe Sphæræ circus, Bacchus autem eſt flammeus ille in hoc circo circulus, imò verò Phœbus eſt almum in hoc flammeo globo lumen. Bacchus autem exiſtit ibidem ſalutaris ex lumine calor, ſemper ergo fratres comitéſque ſunt, ferè ſemper alter & idem. Quid verò? Si Sol in vere quidem Phœbus eſt, cantu ſuo tunc avium cantus excitans, cithara rurſum tempora temperans, in Autumno verò Sol idem author vini Bacchus exiſtit. Tria nobis ad ſervandam juventutem pater ille Liber, qui amat colles, Bacchus affert. Hos quidem apricos primùm colles, in his autem collibus ſuaviſſimum præcipuè vinum, perpetuam in vino ſecuritatem. Tria quoque Phœbus Bacchi frater pari benignitate largitur. Diurnum primo lumen, ſub fomento luminis: herbas ſuaviter redolentes ad luminis hujus umbram, citharam, cantúmque perennem: his ergo penſis potiſſimùm, his ſtaminibus Clotho nobis jam non parca longa vitæ fila producet, & hæc quidem omnia doctiſſ. Platonicúſque Philoſophus Marſilius Ficinus in lib. *de vita longa*, cap. xix. qui etiam ſupraſcriptos à me Tibulli verſiculos refert: ad quæ omnia alluſit ter maximus Alciatus in libello emblematum in Juventam his verſibus:

Natus uterque Jovis, tener atque imberbis uterque,
Quem Latona tulit, quem tulit & Semele.
Salvete æterna ſimul & florete juventa,
Numine ſit veſtro quæ diuturna mihi.
Tu vino curas, tu victu dilue morbos,
Ut lento accedat ſera ſenecta pede.

CAES. AVG. TRAIANI VICTORIA GERMANIC. ET DAC.

GREGORIVS Vaſolius ex ſodalibus Caſinatis religionis ſacerdos optimus, his diebus cum intercesſiſſet mihi cum illo ſermo de probitate veterum Cæſarum, egóque hunc noſtrum, qui hodie vivit, CAROLVM V. Imperatorem maximum, merito laudarem, ejus præclariſſima in toto orbe geſta commemorarem, illúmque in primis Auguſto, deinde, Trajano perſimilem facerem, *& recte*, inquit, LANDE CONSTANTI *facis, qui meritum Cæſarem, divinúmque virum extollis, qui & Germanicos in primis furores repreſſerit, qui Pontificem Maximum Clementem reſiſtentem ſibi, debellaverit, qui olim me adhuc puero adverſus Turchas ingens bellum iniens Pannonium circa mare populos Chriſtianæ Fidei addictos infeſtantes, propulſaverit ac devicerit, & ex Thuniſiæ faucibus ſalſique maris ſtagnis ſuperatis, Triumphum immortalem reportaverit: quíque alia memoratu digna geſſerit, quibus jam cuncta per orbem diffuſa bibliothecæ repletæ ſunt, ac de quibus loquuntur omnia ſcripta hujus ætatis, hiſtoriæ, & annales. Trajani hoc igitur argenteum numiſma: cui Auſtriacum Carolum Cæſarem noſtrum comparaſti, cum duobus aliis his argenteis nummis à me accipe, nam à Parente meo Venturino te nonnulla Romanorum Cæſarum numiſmata explicanda ſuſcepiſſe, paulò antè certior factus ſum: donum hoc igitur à me habeto pro certo amicitiæ noſtræ pignore, túque, cùm à philoſophicis ſtudiis vacabis, illud interpreteris Trajani in primis optimi principis, cujus manſuetudinem, quenque mehercule decet principem imitari.* Cùm hæc dixiſſet Gregorius, illi maximis de munere tam precioſo quidem à me habitis gratiis, utérque noſtrum jam cadente in oceanum ſole abrupta familiari collocutione diſceſſit, & tunc illi pollicitus ſum his meis interpretationibus ejus nomen inſerere, quod nunc facio. Cùm igitur domum me proripiens contuliſſem, ac ſtatim muſæolum meum introiiſſem, ſedens ad lumen libris appoſitum, numiſma Trajani in manus ſumpſi, & oculos in primis in effigiem tanti principis injiciens, notas, quæ circunquaque inſcriptæ erant, legi hoc pacto,

IMPE. TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P.

In



Digitized by Google

OTECA NAZIONALE
OMA

Digitized by Google

In tergum autem nummum vertens Victoriolam alatam conſpexi ſic effictam, in dextra coronam, in ſiniſtra palmam tenentem cum hac inſcriptione,

COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINC.

Imago autem Trajani ipſius rotundo pene ore extitit, & quadrata perſona, ſpecie quidem jucunda, & amabili & decora, bonum virum præ ſe ferente,(ut etiam placet Ariſtoteli lib.3. *Rhetoricorum*, & Cornelio Celſo lib. 2. cap. 1. *de re medica*) cujus caput laureo ſerto redimitum fuit. Sed ut earum rerum, quæ in numiſmate effictæ fuerunt, nonnullæ dilucidius ex monimentis antiquis, quæ adhuc Romæ ſuperſunt, appareant, hic operæpretium fuerit ponere titulum in ejus columnæ cochlidis baſi ſculptum quæ in ejus foro poſita adhuc extat, quam intuitus ſum cùm Romæ agerem 1545. & quam intus aſcendi clxxiij. gradibus, feneſtellis lucem præbentibus xliiij. altitudine pedum cxxviij. exiſtentem, licet evarient Eutropius & P. Victor, quem malo eſſe Sextum Rufum, ille enim dicit pedum eſſe centum quadraginta, hic centum xxviij. & quidem columna illa cochlidis ad faſtigium circum circa res à Trajano geſtas ſculptas miro artificio, & præcipuè Dacicum bellum oſtentat: & illud in illius columnæ artificio admirabile mihi viſum fuit, quod cùm ad ſummum gyrum variarum figurarum ſint cælata ſimulachra, neceſſéque fuerit aliquam particulam in ſecundum lapidem ſervari, nihilominus ita compacta & commiſſa ſunt, & ad unguem conjunguntur & conveniunt, ut ne oculatiſſimus quidem, niſi meditato & conſulto in rem præſentem veniat, animadvertere poſſit: gradus etiam uno perpetúoque lapide conſtant, in quo inciſi ſunt. De hac columna ita Dion meminit, *In foro ingentem columnam ſtatuit, ſive ut ea pro ſepulchro eſſet, ſive in oſtentationem ejus operis, quod ille circa forum egit: clivus ſurgebat, quem effoſſa quoquoverſus terra ita complanavit: ut undique columna conſpiceretur: forúmque deinde in areæ modum æquatum manſit.* Hanc columnam Paulus iij. pontifex Max. Romanarum antiquitatum ſtudioſiſſimus princeps, cùm eſſet tota ruderibus obruta, ut vix faſtigium appareret, purgato loco, cœlóque mox apertiori indito, & ſolo, dum effoditur, marmoreo invento, quòd ſub terra altiori latebat, in aſpectum protulit, eo anno certè, quo ego cum Illuſtri avunculo meo Paulo Scoto comite ab urbe

Placentina illuc legato miſſo, Romam profectus ſum, nempe quingenteſimo quadrageſimo quinto anno ſupra milleſimum. Sed jam tempus poſtulat & titulum ſeu inſcriptionem, quæ in baſi columnæ cochlidis fuit, hic ſubſcribamus, ut invicem conferamus numiſma & marmoris notas.

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS. IMP. CAESARI. DIVI NERVAE. F. NERVAE. TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P. AD DECLARANDVM. QVANTAE. ALTITVDINIS. MONS. ET LOCVS. TANTIS OPERIBVS SIT EGESTVS.

& hic quidem titulus, cui columnæ ex altera parte ſunt fulmina inſculpta, ſicuti viſitur etiam in numiſmatibus Auguſti Patris, & Neronis. refert Philander Gulielmus interpres Vitruvii lib. iiij. ſe nuſquam in antiquorum monimentis vidiſſe in ima corona ſculpta fulmina, cùm tamen eo libro præcipiat Vitruvius, ſcalpenda in ima corona fulmina. Sed hoc loco libet aliam marmoris antiqui inſcriptionem, quæ ad numiſma noſtrum facit, ſubdere: quæ juxta templum Pantheon ad viam publicam ità legitur:

IMP. CAESARI DIVI NERVAE F. NERVAE TRAIANO AVG. GERMANICO DACICO PONTIFICI MAXIMO TRIBVNIC. POT. VIII. IMP. IIII. COS. V. P. P. TRIBVS XXXV. QVOD LIBERALITATE OPTIMI PRINCIPIS COMMODA EORVM ETIAM LOCORVM ADIECTIONE AMPLIATA SINT.

In portu Anconitano à Trajano reſtituto, eximiiſque marmoribus decorato, gradibus etiam ibi conſtructis marmoreis, ut facilis eſſet deſcenſus ad aquam, utque ferri onera mercium ad naves poſſent, & inde referri addito etiam pulcherrimo Triumphali arcu ad ornamentum Anconitani portus, hæc inſcriptio, quam idem Trajanus poni curaverat, adhuc legitur: in qua ſepties illum conſulem fuiſſe ſatis patet, ideo in meo numiſmate nullum eſſe errorem crediderim ex ſuperiore citato marmore:

IMP. CAES. DIVI NERVAE. F. NERVAE TRAIANO OPTIMO AVG. GERMANIC. DACICO PONT. MAX.

MAX. TR. POT. XVIIII. IMP. XI. COS. VII. P. P. PROVIDENTISSIMO PRINCIPI. S. P. Q. R. QVOD ADCESSVM ITALIAE HOC ETIAM ADDITO EX PECVNIA SVA PORTVM TVTIOREM NAVIGANTIBVS REDDIDERIT.

A latere autem dextro ſupraſcripti arcus, hæ notæ leguntur, PLOTINAE AVG. CONIVGI. AVG. à ſiniſtro autem latere hæ notæ ſunt ſcriptæ, DIVAE MARCIANAE, AVG. SORORI AVG. hic alias inſcriptiones ipſius Trajani, & Romæ, & alibi à me lectas, non eſt quod in præſentia ſubſcribam, cùm res ſupra ſcriptæ ſatis ad numiſma faciant. Nunc cum antiquis ſcriptoribus & numiſma noſtrum & illud marmor conferamus. M. Vlpium Trajanum Coccejus Nerva (ut inquit Dion) dum ſenectam ſuam contemni videret, adoptavit: móxque in curia Cæſarem deſignavit, ad quem Imperii jura, atque inſignia (præerat enim tunc Germaniæ) hoc verſu miſit,

Telis Phœbe tuis lachrymas ulciſcere noſtras.

Ita Trajanus adoptatus à nerva, deinde Imper. factus eſt. Neque eo deterritus (ut idem inquit Dion) eſt Nerva, quod Trajanus genere Hiſpanus, aut ex Italia oriundus non eſſet: quódque ante eum peregrinus, & alienigena Romanum Imperium non tenuiſſet: virtutem hominis, non genus, aut patriam ſpectari oportere exiſtimavit. Trajanus cùm imperare cœpit (ut refert Dion) ſecundum & quadrageſimum annum agebat: in qua ætate ita ei omnia ſuppetebant: ut neque per juventutem quicquam ſtultè, aut temere aggrederetur: neque item per ſenectutem langueſcente corpore, ſegnis ac timidus à magnis rebus retardaretur. Nullus in eo livor, nulla malignitas, neminem omnino perdere ſtuduit, contrà verò bonos, & ſtudioſos viros, honoribus & dignitate auxit, delatoribus operam non dabat: iræ ita moderabatur ut nunquam ab ea vinceretur, ab aliena pecunia & injuſtis cædibus abſtinuit. Amari & obſervari, quàm timeri malebat, cum populo benignus, & manſuetus. Senatum jucundè & honorificè appellabat, dilectus & charus civibus, portus & ædes publicas ædificari curavit, vias item munivit, in quibus faciendis fortunas aut ſanguinem alicujus nunquam abſumpſit. Natura magnificus, & gloriæ appetens erat; Circum collapſum ampliorem atque elegan-

elegantiorem reſtituit: quòd ideo ſe feciſſe inſcripſit, ut populum Romanum capere poſſet: cùm amicis & familiaribus venationes, convivia, ſeria, jocos frequenter exercebat, eloquentiæ, & diligentis alicujus eruditionis non expers fuit: munera tum facundi & non indocti hominis pulcherrimè obibat: nihilque omnino erat, quod optimè non exerceret: vini aliquantum appetens: non tam quòd eo in aliquod crimen prolaberetur; in augenda re familiari moderatus, belli ſtudioſus, ut acceptas clades emendaret: in gerendis bellis plurimum pecuniæ impendebat: non minore tamen liberalitate & impenſa ſegnius ac animo ornamenta eſt amplexus. Generoſa in eo canities, & oris majeſtas principem prodidit, & quis foret in ementito habitu facilè oſtendebat. Bella autem, quæ geſſit Trajanus hæc fuerunt; Expeditionem in Dacos parans, tandem eos ſubegit, Decebalo eorum Rege devicto, qui deductus ad Trajanum, illum humi procumbens ſuppliciter adoravit. Ingreſſúſque tunc Romam Trajanus ex eo Dacicus appellari cœpit. Parthos invaſit, quos & poſtremò ſuperavit, Cteſiphonte recepta, imperatoris Parthici tunc cognomen, quod ante ei tributum fuerat. Cum Hiſibi & Ecbatanis eſſet potitus, ſenatus confirmavit, Transtygritanas provincias debellavit imperióque addidit. Armeniam atque Arabiam pervaſtavit, uſque ad oceanum progreſſus, cognita maris natura, navéſque conſpicatus, *Utinam* (inquit) *juvenis eſſem, profectò in fines Indorum penetrarem.* Nomina præterea victarum à ſe gentium Senatui nuntiavit, quarum numerus tantus erat, ut vix recenſeri, aut nominari poſſent. Alexandro autem, cujus æmulatione Rubrum mare ac oceanum navigaverat, in ea domo parentavit, in qua expiraſſe ferebatur. Triumphalis arcus, præter alia multa, quæ in honorem Trajani & decreta, & facta fuerant, in illius foro ſubſtructus eſt, qui tamen hodie non extat. Illud autem in honorem Trajani in primis ſenatus decrevit ut OPTIMVS appellaretur: & quidem nihil eum magis quàm cognomen OPTIMI juvit utpote moribus & manſuetudini ejus maximè conveniens. Nam reliqua bellis, & armis facilius attribuas. Illud dignum ſcitu hîc non prætermittam quod Dion retulit, cùm Parthorum & Armeniorum fines ingreſſus fuiſſet Trajanus, regionis Satrapæ ipſique mox reges cum muneribus ei occurrerunt, equumque duxêre

duxére ita edoctum, ut regem adoraret. Nam pedes anteriores in morem ſupplicantis flectebat, capútque pedibus, qui proximus eſſet ſubjiciebat. Hunc equum locatum in medio atrii Trajani, cùm imitari ſe velle dixiſſet Conſtans, Conſtantini filius, Regalis Ormiſda ei reſpondit, ***Stabulum prius tale condas.*** Hujus autem equi imaginem in ipſius Trajani numiſmatis ſignatam ſe vidiſſe refert Marlianus in *Topographia Romæ* lib. v. cap. 1. cum hac inſcriptione, S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Illud etiam admirandum refert Dion, Trajanum lapideum pontem in Iſtro feciſſe, opus ſanè memorabile: & , ut inquit idem Dion, cui cætera illius opera vix adæquare poſſis: xx. ſtant ex quadrato lapide pilæ: quarum altitudo C. & L. pedum, præter fundamenta habetur: latitudo lx. pedes continet: diſtant inter ſe clxx. pedibus: fornicibus verò conjunguntur, impenſa profectum ingens & vix credibilis, mirabiléque quomodo in illa gurgitum altitudine, támque præcipiti fluvio ſingulæ columnæ extrui valuerunt, tantarúmque molium fundamenta ſtabiliri. Sed & vada limoſa erant, neque amnis aliò averti poterat. Tot igitur ac tantis triumphis auctus Trajanus magníſque & perpetua gloria & memoria dignis facinoribus peractis, tandem graviore morbo oppreſſus membrorum ita ſtupore reſolutorum, ut pars corporis defecta ſenſu maneret intercute aqua repletus apud Selinuntem Ciliciæ urbem, quæ deinde *Trajanopolis* cognominata eſt, delatus ibi ſtatim extinctus eſt, cùm imperaſſet annos undeviginti, menſes ſex, & dies quindecim: & hæc quidem omnia de Trajani vita & geſtis Dion, quæ quàm breviter fieri potuit à nobis ſunt relata. Nam quis in tanti principis Honorem hæc ſiluiſſet? cum Romana Reſpublica huic parem nunquàm habuerit, quin cum bonitatem alicujus laudare volumus, bonitatem Trajani ei attribuimus, quòd & acclamationes principibus exhibitæ declarant, cùm Auguſti felicitatem, bonitatem Trajani his adprecarentur. Sed hæc jam de Trajano dicta ſint ſatis, ad ejuſdem numiſma pertinentia: quod autem ſit in nummo Trib. pot. & Cos. v. quid eſſet poteſtas Tribunitia, & qualis, & an imperatoribus conveniret, idémque de Conſulibus, quæ & qualis eorum eſſet poteſtas, vide plenè apud Alexandrum ab Alex. lib. *Genial. dierum* v. cap. ij. ubi de Tribunis, & lib. 3. cap. iij. ubi de Conſulum poteſtate. De poteſtate autem pontificum & de eorum officio, &

N quot

quot Romæ fuerint videto eundem Alex. ab Alex. lib. *Genial. dierum* ij. cap. viij. ne ego hîc plura congeram.

ADRIANI ANTINOVS.

IN numiſmate æreo perantiquo, quod apud Decianum juriſconſultum Utinenſem Patavii vidimus, erat ex altera parte ANTINOI imago pulcherrimè effiĉta, cum his notis Græcis, ΗΡΩΣ ΑΝΤΙΝΟΟΣ, in latere verò erant & illa Græcè ſcripta, ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΑΔΡΙΑΝΙ ΙΚΤΑΡΥ * * ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ibi etiam effictus erat Tripos Phœbi unà cum ſerpente, ex quo exibat lauri arbuſculum, cui Tripodi inerat hæc ſubſcriptio Græca, ΝΕΩΠΤΔΙΩ. Cùm igitur hoc numiſma non vulgari ſculptura fabrefactum attentius domi cogitarem, ejuſque imago ante oculos ſæpius ac ſæpius obverſaretur, ob miram pulchritudinem, ac raram ſpeciem juvenis, ſubiit animo hiſtoria ANTINOI, quæ apud Dionem Græcum ſcriptorem in Adriano, alias à me fuerat lecta, & apud Pauſaniam in *Arcadicis*. Fuit igitur ANTINOVS formoſiſſimus ex Bithyniæ urbe Cythynide, quam *Claudiopolim* vocant, juvenis ab Adriano Cæſare præter modum adamatus, in delitiiſque habitus. Quinetiam novus Apollo pro Deo habitus ab eodem imperatore, & Heros vocatus, oraculúmque eidem conſtitutum, quod indicat Tripos ille in nummo ſignatus. Ad Nilum etiam eſt Ægyptiorum oppidum ANTINOIS de ejus nomine dictum, quod & ἀδριανόπολις eſt: ſtellam in cœlo ejuſdem Antinoi apparuiſſe, viſamque à ſe aſſerebat Adrianus, qui perlibenter eos audiebat, qui dixiſſent ex ſpiritu Antinoi natam ſtellam, & Græci quidem (ut Ælius Spartianus narrat) volente Adriano Antinoum ipſum conſecraverunt. In Ægypto periit autem Antinous, ubi & ei habitus eſt honos. Mantinenſes annuum feſtum, & quinto quoque anno ei celebrant, ut ait idem Pauſanias in *Arcadicis*. Hujus Antinoi ſtatuæ duæ pulcherrimæ, Leonis x. Pontificis Max. tempeſtate ROMAE repertæ ſunt, quas idem Pontifex in Vaticano ſtatuit. Sed de hujus numiſmatis interpretatione, quod ad hiſtoriam pertinet, nihil amplius eſt, quod in præſentia dicam, cùm qui cupiat rem penitus intelligere, adire poſſit ipſum Dionem, & Ælium Spartianum in

Adria-



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA

Digitized by Google

Adriano. Divus Hieronymus lib. 20. adverſus Jovinianum de Antinoo ſic meminit, *Et ut ſciremus quales Deos ſemper Ægyptus recepiſſet, nuper ab Adriani amaſio urbs eorum Antinois appellata eſt.* Alii etiam ſcriptores, ut Nicolaus Leonicus Thomæus lib. 2. *variæ hiſtor.* cap. xix. & antiqui de eo meminerunt, & præcipuè Pauſanias author Græcus lib. viij. *Arcadicorum*, qui eundem *Antinum* vocat, non *Antinoum*, & qui in Gymnaſio Mantinenſium domum habuiſſe ſcribit, quæ ſimulachra Antini ſpectatu digna continet, Baccho perſimilia. Sed verba Græca aliquot in numiſmate fuêre ſic corroſa propter antiquitatem, ut propè divinârim. Sed illud verbum ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ malim legere *Antinopoleos*, hoc eſt civitas Antinoi, & ſi *Metropoleos* legi poſſit, quod non ignoro, cùm me admonuerit præceptor maximus Alciatus in *Diſpunctionibus* lib. 2. cap. xxiij. pontificii juris locum quendam reſtituens in cap. *cleros*, diſtinc. xxi. quid ſit Metropolis, quod & doctiſſimus Eraſmus animadvertit in ſuis ſcholiis ad epiſtolam Divi Hieronymi *de vita clericorum.* Nam ex lexico Græco ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ, mâtrix urbs dicitur, ex qua coloniæ deducuntur. Quod autem pertinet ad illa verba Græca, ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΑΔΡΙΑΝΙ ΙΚΤΑΡΥ. quid ſit illud verbum *ictary*, me latet, cùm ſic conciſa, ac promemodum deleta eſſent verba, ut vix legi poſſent. ΝΕΩΚΟΡΟΥ autem pro novo æditu poſitum eſt. Nam ΝΕΩΚΟΡΟΣ, eſt idem quod *æditus*, qui res ſacras tractat atque cuſtodit, ornátque, à ΝΕΩΣ *templum*, & κορῶ *purgo*, ſive *verro*, illa autem ſubſcriptio Græca, quæ inerat tripodi, ΝΕΩΠΥΘΙΩ ſcilicet, pro novo Pythio ſeu Apolline accipi convenit. Tripos enim Apollini ſacer eſt, propterea quòd phœbades ex eo oracula proferrent, & dicatus propter numeri ternarii perfectionem, vel propter tres cœli circulos, quorum unum ſecat ſol annuum curſum perficiens. Tripodes etiam Apollinis erant coronati, hinc Ariſtophanes in *Pluto*: ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων. tribuunt Apollini tripodem propter tria tempora, ut ex Homeri carmine conſtat, novit enim τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. de Tripodis inventione, vide in vita Solonis apud Plutarchum. Qua verò forma Tripos eſſet variè proditur. Quidam menſam, vas alii, plerique perforatum ſedile tradidêre. Sed in numiſmate quod vidi, videtur fuiſſe forma vaſis, in tres longos pedes deſinentis. Sed & Tripos certantibus præmium dari ſolitus, id quod Pindarus, & Hora-

Horatius, Virgiliúſque oſtendunt. Græci autem laurum Apollini attribuêre, non tam ob Daphnes fabulam, quàm ob ipſius plantæ virtutem: de qua nonnulla Phornutus dixit. Aphthonius etiam divinationis ſymbolum, laurum eſſe tradidit. Ideo & μαντικὸν φυτὸν, id eſt, *Præſcientia futuri* ſeu *divinandi ars* , ſeu *planta vaticinatrix* eſt appellata, futurorúmque præſcia credita. Claudianus,

—Venturi præſcia laurus.

Fulgentius lauri folia ſi noctu pulvino ſubjecta fuerint, veritatem ſomniorum conciliari ait, quod & Alciatus noſter in emblematis arborum his duobus verſibus confirmat,

Præſcia venturi laurus fert ſigna ſalutis,
Subdita pulvillo ſomnia vera facit.

Quinetiam ex lauri crepitu, dum uritur, veteres futura prædicebant: ſi enim crepuiſſet in igne maximè fœlicitatem: contrà, ſi ſiluiſſet, ſignificare putabatur. Ideo noſter Tibullus ſic cecinit lib. 2. elegia vj.

Vt ſucceſa ſacris crepitet benè laurea flammis,
Omine quo fælix, & ſacer annus eat,
At laurus bona ſigna dedit, gaudete coloni:
Diſtendet ſpicis horrea plena Ceres.

Et Propertius:

Et tacet extincto laurus aduſta foco.

Extat etiam Græcum epigramma Λουκιλλίου, ubi dicitur laurum peraſperam eſſe in igne, dúmque uritur, aliquid portendere:

Ἄνθρακα, καὶ δάφνην ἐπιβαλὼν ὁ στρατιώτης
Αὖλος, ἀποσφίγξας μήλινα λαμπάδια.

Valere etiam ad Divinationem laurum, ſi edatur, nonnulli prodiderunt, & ad ἐνθουσιασμὸν, id eſt, *afflationem numinis* , quod interpretes Heſiodi, item Lycophronis teſtantur: & Lycophron quidem in *Alexandra* & Sophocles in *Caſſandra* oſtendunt, quod & Tibullus ſupraſcripto lib. eadem elegia refert: his verbis,

Vera cano, ſic uſque ſacras innoxia lauros
Veſcar, & æternùm ſit mihi virginitas.

Et Juvenalis,

Laurumque momordit.

Hinc & à Græcis δαφνηφάγοι vates dicti ſunt. Quàmplurima alia de lauro,

lauro, digna refert Lilius Gyraldus vir doctiſſ. in xvi. ſuorum Dialogiſmorum capite, quæ hic non refero, cùm hæc à me dicta ſint ſatis: quæ non dixiſſem niſi hoc loco mentio de lauro incidiſſet, quæ fuit in Tripode annexa, tu autem multa de lauro lege apud Plin. lib. xv. cap. xxx. *rei naturalis:* quod autem fuerit ſerpens in nummo, res eſt nota, quòd Apollo *Pythius* dictus ſit à pythone dracone occiſo, vel ut alii ἀπὸ τοῦ πυνθάνομαι, quòd eſt *interrogare*, & *conſultare:* hinc *Pythia* ludi Apollinares, in honorem Apollinis inſtituti ſunt. Ovidius lib. 1. *Metamorphoſeos:*

Inſtituit ſacros celebri certamine ludos
Pythia perdomitæ ſerpentis nomine dictos.

Boni igitur conſulat lector, hunc laborem noſtrum, quem nunc ſuſcepimus, in exponendo hoc numiſmate, præter inſtitutum noſtrum: quòd ſi quis ex antiquariis doctius enarraverit ac interpretatus fuerit rectius hoc numiſma, ei & ego habebo maximam gratiam, quod aliquid amplius ab eo didicerim: & quòd illuſtriora reddita fuerint, quæ ab aliis non ſat rectè intellecta, nondum ſuam claram lucem receperunt.

CONSTANTIVS LANDVS COMES,

Nicolao Vicecomiti illuſtri adoleſcenti

S. P. D.

AMOR meus erga te maximus, noſtérque, cùm Ticini hoc anno uno eodémque ſub tecto eſſemus, familiaris, gratuſque convictus, indoleſque tua propè divina impulerunt me, ut in præſentia quaſdam meas lucubrationes in tria vetera numiſmata, in conſecrationem ſcilicet Divi Antonini Pii, & in decurſionem Claudii Neronis Cæſaris, Romamque Caſtoris, & Pollucis nomini tuo inſcriberem: ut hæc quaſi guſtum reliquorum à me jam diu expoſitorum nummorum accipias, quæ ſi ſenſero tibi in primis, dein cæteris ſtudioſis bonarum artium placere, non committam ut diutius lateant, ſed efficiam omnino, ut viri eruditi ſentiant, me nihil prætermiſiſſe, quin eorum votis in hoc

hoc (quantum per me fieri potuerit) facerem ſatis. Hac ætate quidem plerique ſat curioſè numiſmata ediderunt plurima pollicentes: ſed ut video magno apparatu & plauſu iſta promittunt, nemo tamen adhuc id quod promiſit, præſtitiſſe viſus eſt. Multi Cæſarum imagines ac vultus expreſſos, aliorúmque veterum principum virorum vitas nobis legendas exhibuerunt ſat diligenter, & facundè. Alii etiam materno ſermone paulò antè libros nobis exhibitos, in quibus de numiſmatis antiquis verba fecerunt, quidem diſerta & præclara in vulgum emiſerunt, errata quorundam autorum etiam doctiſſimorum virorum animadvertentes, opus ſanè elaboratum ac elimatum. Sed quod magis Latinam orationem mereatur, quàm vulgarem: hujuſmodi enim eſt numiſmatum veterum materia, & autoritas, ac majeſtas ingens, eruditáque lectio, ut niſi Romana loquutione, verbíſque Latinis tractari digna videatur. Verùm tu mi Nicolae vicecomes, hunc laborem noſtrum qualiſcunque erit, noſtræ amicitiæ ſymbolum accipies, ac veluti quandam teſſeram benevolentiæ noſtræ non dedignaberis. Quòd ſi tu unus hæc pauca probaveris, quæ nunc tuo nomini inſcribo, ut & brevi reliqua à me edantur, animum mihi feceris. Hæc igitur nunc quidem pauca à propenſa tamen in te animi mei voluntate provenientia habeto, mox enim congiaria, ſecuritatemque, Cytharámque Neronis, & Adloquutionem, Auguſtíque Cæſaris capricornum, Trajaníque & Antonini, & Maximinorum, Gordianorúmque cum nonnullis aliis imaginibus, Lyſimachi nempè Thracum Regis, & Jani cum pleriſque aliis, quas non eſt hic tempus connumerandi, à me enarratis, propediem edemus: modo hæc minutiora probari intelligam. Accipe igitur Nicolae amicorum optime, has meas trium nummorum veterum expoſitiones, & illas legere non dedigneris: & interim hæc Cornelio Cottæ & Fabritio Barbavariæ legum perſtudioſis adoleſcentibus, amicis chariſſimis, legenda dabis, méque illis quàmplurimum commendatum facies. Vale méque tui amantiſſimum mutuò ama. Ticini, xvij. Cal. Auguſti. M. D. LVI.

ΒΕΛΤΡΑΜΟΣ ΚΟΔΕΟΣ, Ο ΡΙΚΑΛΔΩΝΕΥΣ.

Εἰ σὺ Νέρωνα θέλῃς, καὶ Κάστορα, καὶ Πολυδεύκη
Ζῶντας ἰδεῖν, γλαφυρὴν λάμβανε τήνδε σέλιν.
Ἣν πότε Νικολέῳ Βισκόντῃ ΛΑΝΔΟΣ ὑπουργῶν,

Εἰργά-

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

Εἰργάσατο, σπουδὴν οὐκ ὀλίγην θέμενος,
Εἰ δέ σε ταῦτ' ἀρέσαι καὶ γνῶ, πολὺ πλείονα δώσει
Σοῦ χάριν οὐ δαπάνων φείσεται, οὐδὲ πόνων.

In numiſma Antonini Pii Bartholomæus Moiranus.

Quem meruit pietas cœlo ſacravit honorem
Poſteritas, titulo diceris atque Pii.
Non minor Heroi debetur gratia Lando,
Illius ingenio nunc redivivus eris.

D. ANTONINI PII CONSECRATIO.

*

THEODORVS Caſalenſis à Sancto Georgio, Sancti Georgii Canapitii, & Blandratæ Comes perilluſtris, adoleſcenſque nobiliſſimus, & optimis candidiſque moribus ornatus; nécnon Juricivili boniſque literis incumbens, cùm eſſem Ticini, mihi dono dedit pulcherrimum, vetuſtiſſimúmque aureum numiſma Divi Antonini Pii, in cujus prima facie extabat imago, cum hac inſcriptione, DIVVS ANTONINVS. in poſteriori facie erat effigies conſecrationis quibuſdam gradibus formata cum titulo hoc, CONSECRATIO. S. C. hanc igitur conſecrationem ut nunc explicemus operæ pretium fuerit, cùm ab tam egregio adoleſcente hoc munus omnino precioſum ac divinum ſit nobis traditum, quis enim Theodorum, munus deorum datum, & gratiam deſignare non intelligit? & mehercle liberalitas iſta non eſt ſilentio prætereunda, cùm tanto nomine hic dignus meritò cenſeatur, ob mirabilis pulchritudinis elegantiam, & virtutis præſtantiam ejúſque familiæ claritatem. Conſecrationem igitur hanc Græci ἀποθέωσιν vocant, quia multi conſecrarentur, inter divóſque connumerarentur poſt mortem, qui egregia facinora patraſſent, quíque viri boni fuiſſent. Sicuti enim divos appellamus, qui à Pontifice Romano conſecrati fuêre, ita veteres Romani Cæſares ſuos divos fecêre ſanctóſque: de Antonino Pio, qui hoc in numiſmate effictus fuit, quíque divus meritò vocatus fuit, hunc in modum Julius Capitolinus in ejus vita loquitur,

Cum

Cum jucunditate à Senatu DIVUS eſt appellatus, cunctis certatim admittentibus, cùm omnes ejus pietatem, clementiam, ſanctimoniam laudarent, decreti etiam ſunt omnes honores, qui optimis principibus antè delati ſunt. Meruit & flaminem, & Circenſes, & templum, & ſodales Antoninianos. Hactenus Capitolinus, qui etiam refert ejus uxorem Fauſtinam conſecratam fuiſſe: ejus verba hæc ſunt, *Tertio anni imperii ſui, Fauſtinam uxorem perdidit, quæ à ſenatu conſecrata eſt, delatis Circenſibus, atque templo, & flaminicis, & ſtatuis aureis, atque argenteis, cùm etiam hoc ipſe conceſſerit, ut imago ejus cunctis circenſibus poneretur.* Refert idem Capitolinus Antoninum Patrem patriæ vocatum à Senatu, cùm primo id nomen diſtuliſſet, quod pòſt cum ingenti gratiarum actione ſuſcepit. Non fruſtra igitur Divus appellatus eſt Antoninus in numiſmate, ut ex Julio Capitolino liquet. Sic numiſmata cum autoribus ſunt conferenda, & hæc quidem eſt pulcherrima collatio. Hìc quædam in ſtatuam æneam, quæ hodie Papiæ viſitur, quam nonnulli credunt fuiſſe ipſius Antonini Pii, ſubdere eſt animus ex ij. libro hiſtoriæ Georgii Merulæ Decadis ſecundæ, cujus liber nondum eſt impreſſus, apud tamen Franciſcum Alciatum extat, qui mihi benignè conceſſit, ut illum legerem, & manu quidem ipſius Georgii Merulæ ſcriptum, cujus verba hujuſmodi ſunt, *Per hæc tempora ſcribunt quidam fruſta ejus ſtatuæ, quam confractam, & diſcerptam olim, dum Matthæus occiſo Ricciardino Languſcio Papiam cœpit, à Papienſibus redempta, erant enim Mediolani diſtracta, & per domos familiáſque diviſa, ſed ſic ferruminata in priſtinum reformantur, & ſtructili in columna ſuperpoſita eſt ſtatua, Mediolanum verſus reſpiciens, quippe dextra porrecta, indicans Mediolanenſi perpetuò per interpoſitam fidem ſe parituram. Cæterùm, ut alio loco ſcripſimus, adhuc ambigo Antonini an Odoacis Gotthorum regis ea imago fuerit, pervetuſti eſt operis, reficere conflatam qui potuerit haud equidem ajunt. Sed fruſta denuò compacta ſunt, at iſtud difficillimum, ingenium, atque ſolertia artificis magna. Magnáque vis ferruminationis fuit, quaſi disjecta ac diſſipata membra ſuo ita loco compacta coëant & quadrent, ut nulla veſtigia fracturæ extent, quamquam ſiniſtrum crus ad cætera membra parum conveniat:* adhuc Merula, quem hic non adduxiſſem tam prolixè, ſi hæc pars ejus hiſtoriarum, unde hæc excerpſi, impreſſa extarent, boni igitur conſulat

ſulat lector diligentiam noſtram. Sed jam videamus de hac conſecratione Suetonium, atque alios hoc modo mentionem facientes. Refert Suetonius in *Claudio* Divum Cæſarem funeratum ſolenni principum pompa in numerum Deorum relatum fuiſſe, quem honorem à Nerone deſtitutum abolitúmque mox recepit per Veſpaſianum. Sic Cajus Julius in Deorum numerum relatus eſt, non ore modò decernentium, ſed & perſuaſione vulgi, ut idem Suetonius dicit, qui refert Neronem à pietatis oſtentatione orſum, Claudium apparatiſſimo funere elatum laudaſſe, conſecraſſéque. Idem ait Domitianum fratri ſtruxiſſe inſidias clàm palámque uſque dum efflaret animam, defunctúmque nullo præterquàm conſecrationis honore, dignatum fuiſſe. Apud Julium Capitolinum in *M. Antonino* legimus, gratias Senatui egiſſe M. Antoninum quòd fratrem conſecraſſet, qui etiam ejus parentibus conſecrationem decreverat. Hanc conſecrationis imaginem in numiſmate Sabinæ Adriani Auguſti uxoris vidi (cùm eſſem ſuperiore anno Patavii) apud Antonium Capivacium, erat autem Sabinæ imago involuta alis aquilæ, quæ videbatur in cœlum ferre ipſam Sabinam capite velatam cum hoc titulo, SABINA AVGVSTA ADRIANI AVG. P. P. à tergo autem oſtendebat has notas CONCORDIA AVG. S. C. Erat autem Concordia ſedens cum patera in manu, cubito ſolio innitens. Aliam vidi Conſecrationem, quam mihi Franciſcus à Villa medicus excellens, amicus meus Placentinus, oſtendit, hoc pacto deliniatam; Erat mitrata, palliatáque, ſtans, dextra craterem fundens ſuper aram, læva facem tenens, ſimilem haſtæ, & alio modo erat Aquila ſuper orbem, roſtrum in tergo, verſus cœlum ſuſpiciens. Fuit etiam aliud numiſma, in quo Pavo gemmantes caudatus expandit colores. Cæterùm jam morem ac formulam conſecrandi hic ſubſcribamus, quæ quidem in tabernaculi formam conficta fuit. Erat igitur velut quidam ſuggeſtus ſpecie quadrangula, lateribus æquis aſſurgens, nulla præterquàm lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam. Id quidem interius totum eſt aridis fomitibus oppletum, extra autem intextis auro ſtragulis, atque eboreis ſignis, variiſque picturis exornatum. Infrà verò alterum minuſculum quidem poſitum eſt, ſed forma & ornatu perſimile, portis januíſque patentibus. Tertium item & quartum ſemper ſu-

O perio-

periore contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod eſt omnium breviſſimum, perveniatur. Et hæc quidem eſt forma ſuggeſtus ſeu Tabernaculi, in quo ponebatur lectus eburneus, ubi imago cærea defuncti Imperatoris jacebat, qui conſecrabatur, & in numerum Deorum referebatur, in extremo autem gradu tabernaculi minimo tanquàm faſtigio quodam ſimul cum ſubjecto igni aquila demittebatur, quæ in cœlum credita eſt ipſam principis animam deferre, propterea quòd Orus Apollo lib. 1. *Hieroglyphicorum* refert, Aegyptios animam ſignificare volentes, aquilam pingere, cujus rationem & ille ibi affert. Artemidorus Daldianus lib. ij. *de ſomnijs* ſcribit, eos qui adepti ſunt immortalitatem ab aquila vehi, & hæc quidem aquila in faſtigio tabernaculi nonnullorum veterum numiſmatum efficta, adhuc cernitur. Sed ne te diutius in nimis longa locutione hujus rei, meæque interpretationis detineam, Theodore clariſſime, utque fontem originemque hujus conſecrationis videre poſſis, librum quartum Herodiani, Græci ſcriptoris, qui in ipſo penè libri limine totam hanc conſecrationem deſcribit, omnino leges, ibi enim morem Romanorum Cæſarum conſecrandorum addiſces. Verba Herodiani hìc tibi poſuiſſem, ni te prolixa ſatis oratione jam detentum cognoſcerem, illumque (cum volueris) per te facilè legere poteris. Hic illud amplius adjecero, cautum fuiſſe antiquitus Senatuſconſulto ne quis ex Cæſaribus niſi ex decreto patrum, inter deos referretur: hoc ideò in numiſmate, ſicut & penè in omnibus aliis vetuſtis, inſunt illæ literæ, S. C. hoc eſt *Senatuſconſultum*, quod illa numiſmata conſenſu auctoritatéque Senatuſconſulti eſſent cuſa. Illud etiam mirum eſt de Diocletiano, qui ſpontè depoſito imperio, nomen poſt annum primus ſine imperio, populi juſſu, patribus authoribus, cœleſtes honores & apotheoſim meruit. Quid de Conſtantino maximo dicam? qui diverſarum religionum conſenſu ab ethnicis inter deos relatus fuit, & à Chriſtianis inter ſanctos, ferúntque magnum illum Ageſilaum, cùm à Thaſiis apotheoſi honoratus & inter deos relatus fuiſſet vivus, illos interrogaſſe, ut ſi Deos faciendi poteſtatem haberent, priùs ſeipſos conſecrarent: dein ſe deificarent. Non diſſimilem huic Antoninianæ apotheoſi, his diebus imaginem in maximo urbis templo, undequaque circum depictis victoriis conſtruxerunt Placentini, cives

ves mei, manibus CAROLI V. CAESARIS AVSTRIACI, tanquàm inter cœleſtes relati, ob ejus pietatem in Deum, & ob tanti Imperatoris præclaras animi dotes, obque victorias innumerabiles, & triumphos multotiens ex bellicis ſudoribus reportatos, ac ex hoſtibus Chriſtianæ reipublicæ depulſis ac debellatis, & ob demum inculpatam, ac ſanctiſſimam vitam, quam ut ſemper antea: ita paulò pòſt in ſolitudine degens, terrenáque deſpiciens duos vel tres annos prinſquam ab humanis diſcederet, glorioſiſſimè egit. Audio & idem Mediolanenſes, cæteroſque Inſubres in honorem ejuſdem Cæſaris factitaſſe. In medio enim maximi eorum templo, quod ſatis amplum extat, uſque ad tectum ſtruxiſſe hujuſmodi Apotheoſis imaginem, & ſimulachrum intercolumnio, inſtar molis Adriani Imperatoris. Quæ res mihi in memoriam reducit illum Virgilianum Auguſto Cæſari meritò deſcriptum Triumphum, à poëta in poſterum carminibus declarandum & ſtatuendum ſic,

In medio mihi Cæſar erit, templumque tenebit.
Illi victor ego & Tyrio conſpectus in oſtro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus, &c.

Porrò de his jam ſatis & ſuper, quæ tibi qualiacunque erunt, non futura ingrata, ſtudioſiſſime mi Theodore, auguror. Boni igitur conſules hoc munuſculum, quod meritò tibi convenit, cùm Deorum jam ſis munus chariſſimum mortalibus conceſſum, ut tuæ virtuti allecti, in deorum concilium numerumque pòſt mortem referantur, ac in cœlum rapiantur optimi, ac doctiſſimi viri. Vale, Adoleſcens nobiliſſime, ac propè divina indole natum ingenium ſingulare, & Conſtantium Landum ubique tui memorem, ac tui ſemper amantiſſimum, ac tibi obſequentiſſimum, & omnino addictiſſimum ne ſpernas, ſed mutuo amore proſequere. Iterum vale. Ticini Calen. Aprilis. M. D. LV.

CL. NERONIS, CAES. AVG. GER. IMPER. DECVRSIO.

IN æreo numiſmate Divi Claudii Neronis Cæſaris Germanici, quod mihi vir nobilis Antonius Capivacius Patavinus oſtendit, hæ literæ ea parte, qua erat effigies Neronis, ſcriptæ erant: NERO CLAVDIVS CAESAR AVG. GER. P. M. TR. P. IMPER. P. P. in altera fuit imago duorum juvenum, cum haſtis averſis, ſpecie in equis currentium, cum his verbis, DECVRSIO S. C. & hoc quidem numiſma multum & diu me torſit, priuſquàm verum ſenſum elicerem, nec quiſquam ex antiquariis Patavinis hoc me docere potuit, nec mihi petenti, & importunius inſtanti explicare ſcivit: alios etiam doctiores, qui videntur antiqua monumenta profiteri penitiore doctrina, ac recondita quadam eruditione adivi ſæpius, ut hoc ab eis diſcerem. Alii eſſe decurſionem quadrigarum, vel ſejugarum ajebant: alii eos eſſe diſpoſitos equos aſſerebant, quos Romani Imperatores ſumptu publico per diſpoſitos locos provinciarum alebant, ut quoties repentinum aliquid accidiſſet, mutatione equorum citiſſimè quò vellent, poſſent mittere quemcunque nuntium (vulgus *poſtas* vocat alludens Latinæ dictioni, quòd in his ſint diſpoſiti equi: quorum mentio eſt etiam apud Livium.) Hinc in C. Juſtiniani lib. xij. eſt caput ſeu rubrica de curſu publico, quæ ad hanc rem ſpectat, quem etiam locum Alciatus interpres maximus declaravit, cùm curſum publicum apud eundem Juſtinianum doctiſſimè exponeret in annotationibus in xij. C. tu illum videto, ubi Ammianum lib. xxj. & Caſſiodorum lib. ij. & Spartianum in *Hadriano*, & Sex. Aurelium Victorem citat, & Maternum lib. iij. de hac re graviſſimos autores: at eorum omnium opiniones quas recitavi, ad hanc noſtram decurſionem nihil omnino faciunt, cùm in primis juncti non ſint quadrigis equi, nec ſejugis, neque ſpectat hæc decurſio ad curſum publicum, qui in circo maximo fieri ſolitus erat, aut qui pertineret ad publicum, cùm videatur potius in honorem, aut pompam alicujus principis facta, aut potius ludicri genus fuiſſe, & ſi aliquid veriſimile curſui publico habere poſſit, nec non Circenſi. Quam opinionem, cùm in familiari collocutione eſſem cum Deciano Jureconſulto Utinenſi, ille amplexus eſt: ego

Digitized by Google



Digitized by Google

ROMA

Digitized by Google

ego tamen cùm Suetonium in *Claudio Cæſare*, & *Nerone* legerem, omnino ſententiam mutavi, & ex Suetonii verbis certum elicui ſenſum, méque in ſolida ſententia obſirmavi, quæ magis ad veritatem accedit. DECVRSIONEM igitur hanc in numiſmate, & Claudii Cæſaris & Neronis (in ambobus enim nummis eorum principum effictam vidimus) ſignificare credimus ludicri genus, quo uti ſolerent milites in funere principis, cùm pompam & honorarium tumulum excitarent. Suetonius in *Claudio*, cùm de defuncto Druſo loquitur, inquit, *Corpus ejus per municipiorum coloniarúmque primores, ſuſcipientibus obviis ſcribarum decuriis, ad urbem devectum ſepultúmque eſt in Martio campo: exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem deinceps ſtato die quotannis miles decurreret, Galliarúmque civitates publicè ſupplicarent.* Idem in *Nerone*, *deductus in forum Tyro, populo congiarium, militi donativum propoſuit, indicta Decurſione prætorianis, ſcutum manu ſua prætulit.* Quibus verbis (ut mihi videtur) ſatis patet, quid eſſet Decurſio. De hac etiam Decurſione, præcipuus poëtarum in xj. *Aeneidos* ſic alludendo ad morem meminit, cùm Aeneas Pallanti exequias facit,

Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrêre rogos, ter mœſtum funeris ignem
Luſtravêre in equis.

Livius lib. xl. ait: *Mos erat luſtrationis ſacro peracto decurrere exercitum, & diviſas bifariam duas acies concurrere ad ſimulacrum pugnæ*, & talis quidem decurſio apud Suetonium intelligi debet, inſtituta à militibus in honorem defuncti Druſi in Germania. Vegetius in ij. *de re militari*, inter militares exercitationes commemorat campi Decurſionem, ad quam cùm exeunt milites tubicine admonente ceſſant: & hæc quidem decurſio hujuſmodi fuit in defuncti memoriam, & honorem. Hanc Virgilius in v. pulcherrimè deſcribit, cum Aſcanius puerile agmen facit in honorem Anchiſæ, appellabaturque *Troia* tale ludicrum. Virgilii autem hæc ſunt carmina,

Hunc morem, hos curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius, longam muris cùm cingeret Albam
Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipſe modo, ſecum quo Troïa pubes,
Albani docuêre ſuos, hinc maxima porrò

Digitized by Google

Accepit Roma, & patrium ſervavit honorem,
Trojáque nunc pueri Trojanum dicitur agmen.

Tranquillus in *Nerone*, *Tener adhuc, nec dum matura pueritia Circenſibus Ludis Trojam conſtantiſſimè favorabilitérque luſit.* Idem in *Claudio Cæſare*, *Ac ſuper quadrigarum certamina, Trojæ luſum exhibuit.* Idem in *Caligula*, *Edidit & Circenſes plurimos à mane uſque ad veſperam, interjecta modò Aphricanorum venatione, modò Trojæ* DECVRSIONE. idem in *Octavio Auguſto*, *Sed & Trojæ ludum edidit frequentiſſimè, magnorum minorúmve puerorum delectu, priſci decorique moris exiſtimans, claræ ſtirpis indolem ſic noteſcere.* Idem in *Julio Cæſare*: *Trojam luſit turma duplex, majorúmque minorúmque puerorum.* Idem Suet. in *Sergio Galba*: *Ipſe maximè inſignis, quòd campeſtrem Decurſionem, ſcuto moderatus, etiam ad eſſedum Imperatoris per xx. paſſuum millia cucurrit.* Cicero lib. epiſt. famil. xj. ea epiſtola, quam Brutus Ciceroni ſcribit, de decurſionibus ſcribit his verbis, *Conſilia Antonii hæc ſint neceſſe eſt, aut ad Lepidum ut ſe conferat, ſi recipitur: aut Apennino, Alpibúſve ſe teneat, & decurſionibus per equites, quos habet multos, vaſtet ea loca, in quæ incurrerit*: ubi aliæ ſunt incurſiones eo loco ab his, quas ſuperius citavimus, nam varias Decurſionum ſpecies, ad certúmque finem inſtitutas fuiſſe arbitramur: aliæ enim ad militiam ſpectabant, aliæ ad genus ludicri, aliæ in honorem defuncti & pompam fiebant, aliæ ad nuntium repentini caſus ſpectabant, hujuſmodique ſimilia. Et hæc quidem eſt Decurſio à nobis ex autoribus Latinis declarata, quam ſi quis ex antiquariis rectius, & verius expoſuerit, illi habebo maximam gratiam, méque didiciſſe ab eo veritatem hujus numiſmatis palàm prædicabo. Hunc igitur noſtrum laborem (utcunque erit) rogo lectorem, ut boni conſulat, ſic enim addet ſtimulum nobis, ut in dies meliora ſcribendo, antiquitatem excutiamus. Sed hæc ſatis, quæ ad id numiſma ſpectant. Philoſophiæ enim ſtudium gravius me ad ſe trahit, in qua meliores annos quemcunque ingenuum natum expendere debere arbitror: cùm una ſit omnium ſcientiarum regina, & domina ſapientiæ, quæ nos Deo ſola conjungere queat, de qua nunquàm ſatis quiſquam bene dicere, ac bene ſentire poteſt, quin ejus opinionem maximè ſuperet. Quòd in nummo ſint haſtæ, ſi librum *de jaculatione equeſtri*,

ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

ſtri, quem ſe condidiſſe refert Plinius lib. viij. cap. xlij. haberemus, hìc nos certiora perferremus. His igitur ſic dictis numiſma noſtrum ſatis ſit explicatum.

CASTORIS ET POLLVCIS NVMISMA.

CUM ſuperiore anno in Ticinenſi Gymnaſio ſtudiis philoſophiæ operam navarem, & Lucillium Philaltæum, præceptorem meum, tum Græcis, tum Latinis literis apprimè doctum, ex ſuggeſtu phyſica Ariſtotelis clarè interpretantem audirem, & ex ore ejus philoſophica præcepta ex fontibus optimorum interpretum accepta haurirem, mihique in ſcholis familiaris ſermo de artium liberalium ingenuo viro neceſſariarum præſtantia eſſet inſtitutus cum Bartholomæo Rapiollio, juvene perquàm literato & in medicis artibus pereruditо, tunc ille ad me verba faciens percunctatus eſt, an ego tunc temporis aliquid lucubrarem, ego tum inquam maxime. Cùm enim otium mihi ſuppetit, ut à lectionibus philoſophiæ feriari paſſim, reliquum tempus in numiſmatum veterum Romanorum imaginibus exponendis contero, nec enim nobilius ſtudium mihi viro nobili & patritio nato unquam magis convenire ferianti à feriis libris exiſtimavi, cùm ingenuis artibus à pueritia ſic inſtitutus ſim, ut eas non facile poſthabere velim, cùm ornamenta omnium ſcientiarum ſint humaniora ſtudia, & verè nobili ingenuóque viro digna, & reliqua potius (ſi philoſophiam demas) ad lucrum ſpectent, & ad bonorum morum corruptionem: difficile eſt enim ubi ſit ſordidus quæſtus, eò & ſtudia non tendere, ſicque non corrumpi animos hominum & flecti ad munera: & ſi ſcio etiam laboribus honeſta præmia conſtituta, nihilominus id vitium eſt hominum, non artium & ſcientiarum. Nam velut ſi in vitioſum vas infundatur optimum vinum, in vappam illicò evadit, corrumpitúrque & coaceſcit, ita ſi in bonum vas fundatur vinum, non vitiatur: non aliter de artibus ingenuis, bonísque literis evenire cenſendum eſt, quas ſi quis malo genio natus amplectatur, ſtatim vitiantur, & contaminantur: ſi autem bonus vir & omnino probus eis ſe dedat, integræ & inviolatæ permanent: his à me tunc dictis, ſubjecit Rapiollius,

Digitized by Google

lius, *hæc omnia, quæ narraſti, Conſtanti, delphicis oraculis veriora ſunt. Utinámque omnes adoleſcentes hujus temporis, hi præcipuè, qui nobiles & divites ſunt, non lucri potius cauſa, quàm honeſto diſcendi deſiderio ad ſtudia literarum raperentur, & velut quodam ſibi propoſito quæſtuoſæ artis exercendæ ſcopo, & fine ſordido, in illis non conquieſcerent, hinc enim illi forenſium rabularum ac advocatorum labyrinthi in cauſarum litibus dirimendis inexplicabiles, hinc in prætoriis æterna contentio, hinc verboſi fori aſſidui ſtrepitus, hinc immortales lites oriuntur, & civium diſſenſio inextinguibilis, hinc illæ interpretum mille in jus civile diſſenſiones, ac opiniones innumerabiles in ſcholis quotidie, tanquam hydræ capita, renaſcuntur: hinc nodi Gordiani, quos ſi quis optimis ſuffultus literis, & philoſophicis ſeptus præceptis, tanquam alter Alexander Macedo, enſe unóque ictu facile ſit inciſurus. Verùm cùm plerunque homines vitio philautiæ laborent, eò infæliciter demum ducuntur, ut ea quæ ſibi ſcire perſuadent, ignorent, ſicque in dementiam cadant & verboſitatem, ut quæ non noverunt, ea imbecillitate ingenii deprendere nequeuntes, in plurimos errores prolabantur, quòd ſi ſtudia eo fine ſolum amplecteremur, ut ſapientes evaderemus, utque verè ſcientes eſſemus non ut ambitus, aut quæſtus ſordidi cauſa diſceremus artes, omnia in Republica rectè tractarentur, & magiſtratus lucro non hiantes juxta veritatem judicarent. Sic Juriſperiti nummario pretio jus civile non violarent, & reſponſa, tanquam certa oracula Themidis, petentibus ſine palmario concederent, cuncta denique humana, & divina, recto quodam ordine diſpoſita, omni privata utilitate poſthabita, gubernarentur.* Hæc cùm dixiſſet Rapiollius, *Accipe* (inquit) *Conſtanti, hoc numiſma vetus ex puro puto argento, quod tibi dono, ut cùm ipſe volueris meo nomine interpreteris, habebo enim tibi gratias perpetuò, ſi meum etiam nomen tuis ſcriptis inſerueris, nihilque mihi gratius facere poteris, quàm ſi hoc pacto oſtendens apud poſteros inter nos non modicam fuiſſe amoris & benevolentiæ conſuetudinem.* Hæc igitur cùm inter me & Bartholomæum Rapiollium collocutio habita fuiſſet, non multò pòſt à philoſophia ociolum aliquod nactus laborem ſumpſi ad interpretandum illud numiſma, quod apud me adhuc cuſtoditur, non ſine animi oblectatione, oculorúmque voluptate. Nam nos quoque oculos eruditos habemus. In eo igitur numi-

mi-

miſmate, hujuſmodi imagines fuerunt, pulcherrimæ quidem, & uſque ad maxima oblectamenta. In anteriori parte extabat ſpecies mulieris galeatæ, capillos in humeros habentis rejectos, in galeæ vertice erant geminæ alæ, ex auribus dependebant inaures, poſt occiput ſignum literæ Græcæ X, in poſteriori autem numiſmatis parte effícti erant duo Juvenes pileati equis duobus inſidentes ſpeciem currentium præ ſe ferentes, & haſtas in manibus tenentes, ſupra quorum capita duæ ſtellæ radiabant circum eorum collum faſcijs quibuſdam ventilantibus, cum inſcriptione ROMA. Quæ omnia mira artificis arte facta non vulgarem doctrinam his, qui Romanam antiquitatem ſcrutantur, affatim ſuggerunt. Hæc itaque omnia ſigillatim ſigna, nunc ego veterum ſcriptorum monumentis prius innixus adunguem interpretari conabor, atque antiquitatem, plurimis hiſtoricorum locis adductis excutiam, & ut tandem incipiam, Sciendum veteres Romam ſic effingere ſolitos, ut armatam mulierem repræſentarent, eò quòd urbs æterna futura gentium regina & domina ſtabilitatem ac ſolidam gloriam ſuam in re militari collocavit, ex qua illa belli fulmina duo Scipiadæ, Fabij, Marcelli, Decij, Torquati, Camilli, Gracchi, Sabelli, Marij, viri omnes immortalitate donati, nullóque ævo morituri prodierunt, & demum inclyta Cæſarum progenies emanavit, ut armis Romana reſpublica potius floruiſſe, quàm pace videri poſſit. Ideo inclytam meritò vocavit Poëta in vj.

En hujus, nate, auſpiciis illa inclyta Roma,
Imperium terris, animos æquabit Olympo:
Septemque una ſibi muro circundabit arces.

Hinc & illud ejuſdem:

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) paciſque imponere morem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Ut non minus etiam pacis munia feliciter obiverint Romani, quàm armorum, cùm utrunque tempus, & bellorum & pacis rectè ab eis ſit gubernatum. Sed, ut ad rem redeam, cùm eſſem Romæ M. D. XLV. vidi ſimulacrum marmoreum in hortis Cardinalis Cæſii ſpecie quidem muliebri, & galeata, ut eſt in nummo noſtro. Cur autem ſic effingeretur nondum comperi, puto tamen à muliere ſic dicta nomen ſortitam fuiſſe urbem, vel potius à Ruminali ficu,

ſub qua nutriti ſunt infantes Romulus & Remus. Nam ſecundum Sextum Pompejum mamma *Rumis* appellatur, teſte etiam Plinio, vel ut Servius mavult, quia *Rumon* dictus eſt Tiberis, vel verius à Romulo nomen ſuſcepit. Refert Benedictus Labadinus olim præceptor in humanioribus literis meus in commentariis lib. iij. *Theopraxios* percolendi ſacerdotis, ſodaliúmque divi Dominici quæſitoris Bartholomæi Fumi doctiſſimi poëtæ & Theologi, quo tempore & à quo Roma condita ſit, quaréque *Roma* vocata ſit, *Mira* (inquit) *inter ſcriptores varietas apparet, frequens opinio eſt, illam conditam à Romulo & Remo, anno primo ſeptimæ Olympiadis, anno autem poſt captum Ilium ſecundo, at xxx. ſupra trecenteſimum, regnante Athenis Cecrope, Cephalon Ghergitius vetuſtiſſimus ſcriptor, illam conditam ait, ſecunda ætate poſt Trojanum bellum ab his qui ex Ilio ſervati cum Ænea ſunt, à Remo Æneæ filio.* Idem pene Demagoras & Agathyllus ponunt: alii aſſerunt Æneam, qui ex Moloſſis venit poſt Vlyſſem, Romam condidiſſe, & eam ab una Ilienſium mulierum, quæ ROMA dicebatur, ROMAM denominaſſe. Hæc enim alias Trojanas mulieres, ut naves incenderent hortata eſt, errores graviter ferens. Ariſtoteles philoſophus ſcribit Achivos quoſdam tempeſtate à Troja ejectos, in Italiam navigiis appulſos eſſe, & quamvis exacta hyeme, inde emigrare decreviſſent, tamen combuſtis navibus ab his, quas adduxerant mulieribus, conſilium neceſſitate impellente immutaſſe, & ROMAM condidiſſe. Refert Calias Romam Trojanam mulierem, quæ cum aliis Trojanis venerat, nupſiſſe Latino, Aboriginum Regi, ejúſque deinde filios urbem condidiſſe, & à matre denominaſſe. Xenagoras hiſtoricus memoriæ mandavit Vlyſſi ex Circe treis filios fuiſſe, ROMAM, Atium, & Ardeam, qui tres urbes condidêre, & conditas à ſe denominavêre; Dionyſius Chalcidenſis Romum quidem conditorem ait fuiſſe ſive Aſcanii, ſive Emathionis filius fuerit. Alii volunt Romam conditam fuiſſe à Romo Itali filio. Hæc igitur Græci ſcribunt, ex Romanis autem nullus ſcriptor vetuſtus eſt, ſed ex vetuſtis ſermonibus ſervatis in ſacris tabulis nonnulla ſumuntur. Æneæ filios fuiſſe Romum & Remum Romæ conditores, alii ex Æneæ filia illos natos dicunt, & Latino obſides datos, atque ab eo ſine filiis decedente hæredes regni relictos. Aſcanium ſucceſſiſſe, & cum fratribus regnum

gnum diviſiſſe, ipſúmque *Albam* & alia oppida, Romum verò *Capuam* à proavo Capi, *Anchiſen ab* Anchiſe, & *Æneam*, quæ poſtea *Janiculum* vocata eſt à patre, à ſe verò *Romam* denominaſſe. Hæc quodam tempore fuit deſerta, ſed ſequentibus deinde temporibus, adventantibus colonis, quos Albani ſub Remo & Romulo duce miſerunt, antiquam conſtitutionem reſumpſit: ut duplex fuerit conſtitutio, alia paulò poſt res Trojanas, alia quindecim ætatibus inferior. Antiochius Syracuſanus tertiam multò antiquiorem ponit, regnante in Italia Morgete. Solinus autem Polyhiſtor lib. 1. cap. 1. refert Euandrum cùm in Italiam veniſſet, oppidum ibi inveniſſe, quam Valentiam Latini appellaverunt. Ergo ipſe hanc, ne nomen immutaret, Romam Græco vocabulo dixit, ΡΩΜΗΝ. ΡΩΜΗ enim robur & potentiam & valentiam ſignificat, ut eſt author & Plutarchus in vita Romuli, veriùs tamen putant à Romulo conditam Romam eam, quæ quadrata dicta eſt, eò quòd æquilibra poſita foret. Incipit à ſylva, quæ eſt in ara Apollinis, & ad ſupercilium ſcalarum Caci finitur, ubi tugurium fuit Fauſtuli, in quo manſit Romulus & Remus, auſpicato fundamenta jecit duodeviginti natus annos xj. Calen. Majas, hora poſt ſecundam ante tertiam, ut ait Lucius Tarruntius Mathematicus nobilis, Jove in Piſcibus, Saturno, Venere, Marte, & Mercurio in Scorpione, Sole in Tauro, Luna in Libra conſtitutis. Dies illa Parilia habet feſta, obſervatúmque deinceps, ne qua hoſtia cæderetur Parilibus, ut dies ille à ſanguine purus eſſet. De origine ac nomine urbis ſatis, quæ hîc poſuiſſe volui, ut præclaræ civitatis, poſtquam in numiſmate de ea contigit mentio, nomen ac origo ædificationis tantæ lectori eſſet nota: licet de nominibus non nimium ſoliciti eſſe debeamus. Igitur ad alia jam paucis verbis explicanda, noſtra percurrat oratio. Quod in vertice galeæ extarent alæ geminæ, id ex captatis à Remo & Romulo auguriis (prior enim Remus ſex vultures, duodecim mox Romulus vidit) proceſſiſſe opinor. Nam & apud Ægyptios in veſtibulis domorum, alas vulturum proponere, indicium nobilitatis, & vetuſtatis familiæ cenſebatur, quod animadvertit Alexander in *Genial.* lib. v. Húncque nummum crediderim ego Julium Cæſarem, aut Auguſtum, aut quemvis alium ex Cæſaribus cudi mandaſſe, ut vetuſtatem ſanguinis oſtentarent. Sic memini me vidiſſe Romuli num-

mum cum vulturibus, quem poſteà dono dedit mihi Bernardus Lochetta, impreſſor Papienſis, in quo Romuli imago juvenilis fuit, cum hac inſcriptione, DIVO ROMVLO NVDIS CONS. in averſa parte erat quoddam veluti templum, ſeu idea urbis facta in modum caveæ, ſeu turris, in cujus faſtigio erat avis, quam puto vulturem fuiſſe ex figura: circum orbem nummi hic legebatur titulus, AETERNAE MEMORIAE. in imò erant notæ hæ RESTT. & hoc numiſma quidem non eſſe antiquum, ſed poſtea renovatum & repræſentatum crediderim, propter unius literæ immutationem: ſiquidem N literam pro L poſuerunt, cùm *Ludis Conſualibus* eſſet ſcribendum non *nudis*. Conſualia qui ludi eſſent indicant verba M. Varronis, quæ ſubjeci: *Conſualia dicta à Conſo conſilii Deo*, qui in circo templum habuit, ſub tecto (ut Marlianus refert) quod tùm feriæ publicæ ei Deo, & in circo maximo ad aram ejus ab ſacerdotibus fiunt Ludi illi quibus Sabinæ ſunt raptæ. Conſum nonnulli & eundem Neptunum eſſe arbitrantur, ad cujus rationem à Marliano in *urbis Topographiæ* lib. iij. cap. xviij. petendam, lectorem rejicio, ne hîc præter rem noſtram, aliena intrudam. Sed jam reliquas partes noſtri nummi proſequamur. Quòd in occipitio Romæ armatæ eſſet ſignum inſtar literæ X. Græcæ, illud ſciendum, eſſe notam denarii, de qua Val. Probus & Petrus Diaconus in lib. *de notis veterum* meminêre, & denarius decem aſſibus valebat, & decem denarii valent unum coronatum, octo denarii valent ferè aureum Renanum. Duo denarii valent ferè quarta aurei Renani parte. At Alciatus in annotationibus in Cornelium Tacitum aliter ſentit, ejus verba ſunt hæc: *Extant adhuc argentea numiſmata cum Denarii nota X, quorum octo unam unciam pendunt, ut inde conſtet noſtris aſſibus novem valuiſſe Denarium. Hincque nummi valorem cognoſcamus, quorum quatuor Denarius complectitur*: idem Alciatus paulò pòſt etiam aliter videtur ſentire ſuper illis verbis Taciti, *denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari*: inquit ille, *oſtendit hic locus Denarium decem aſſes æris eſſe, quòd diurnum ſtipendium erat militi*: cui Alciato Plinius lib. xxxiij. cap. 3. videtur aſſentiri: cùm dicit, *In militari tamen ſtipendio ſemper Denarius pro* x. *aſſibus datus*. Denarius teſte Plinio lib. 22. cap. ultimo, prorſus drachmæ Atticæ pondus habet: proinde ubique in hiſtoria veteri ſcias drachmam & denari-

denarium idem ſignificare & tantundem valere. Idem Plinius (ut id hoc loco adjiciam) refert eodem lib. & cap. Argentum ſignatum fuiſſe anno urbis D. LXXXV. Q. Fabio Coſ. quinque annis ante primum bellum Punicum, & placuit denarius pro x. libris æris, quinarius pro quinque ſeſtertium pro dipondio ac ſemiſſe. Nota æris fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera roſtrum navis: & alia quædam, quæ ibi proſequitur Plinius de bigatis & quadrigatis & victoriatis: quo loco illud notandum non ſemper eodem pondere & pretio fuiſſe argenteos nummos, cùm & imminuta ſint pondera, & pretia & libræ: hinc aſſes ſextantarii, & unciales & ſemunciales, prout bellorum ſucceſſus & neceſſitas cogebant: hinc placuit denarium xvj. aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis. Non mirum igitur debet videri Georgio Agricolæ lib. v. *de ponderibus*, ſi Alciatus noſter ſcripſerit in ſuprà allegato à me libro, Latinam unciam habere denarios octo, cùm pro mutatione temporum & vocabula & res ipſas immutari videamus, quod exemplo patet ex Plinio ipſo hoc eodem libro, & cap. cùm de unciis, & ſemunciis loquitur. Sed ne de hac re longius hîc verba faciam, quàm par ſit, hæc hoc loco dixiſſe ſufficiat, cùm ſuperiore anno de hac re copioſius ſcripſerim in quibuſdam meis literis Italica lingua ad Hieronymum Tagliaferrum virum doctiſſimum antiquitatiſque peritiſſimum. Explicata jam anteriori numiſmatis parte, nunc poſteriorem, quàm breviter fieri poteſt exponamus. Duo effícti Juvenes pileati, equis inſidentes, ſpeciem currentium præ ſe ferentes, & haſtas ferratas manibus tenentes, ſupra quorum capita apparebant duo ſydera radiantia, Caſtorem & Pollucem gemellos fratres fuiſſe ex hiſtoriarum lectione conjicimus, ſi quidem Dii ambo ſalutares hac forma effingebantur, pileati etiam fuiſſe dicuntur à Catullo in *Scazonte:*

A pileatis nova fratribus pila.

Sic enim Lacones pugnare ſoliti ſunt pileati, autor Feſtus, nonnulli etiam referunt pileum horum fratrum vinctum fuiſſe foliis harundineis, inter quos eſt author Antonius Thyleſius Conſentinas in libello *de coronis*. Cur autem ſic effícti fuerint in hoc numiſmate, ſciendum eſt, ut ait Cicero lib. ij. *de natura Deorum*, quòd Romanis apparuerunt non ſemel ſalutares (nam ſæpe Divi præſentiam ſuam declarant) Bello enim Latinorum apud Regillum, cùm A.

Digitized by Google

Poſthumius dictator cum Octavio Mamillio Thuſculano dimicaret in acie, Caſtor & Pollux ex equis pugnare viſi ſunt, & recentiore memoria iidem Tyndaridæ Perſem victum nuntiaverunt. P. enim Vatienus, cùm è præfectura Reatina Romam venienti, noctu duo juvenes cum equis albis dixiſſent Regem Perſem illo die captum, Senatui nuntiavit, & primò quaſi temere de Republica loquutus in carcerem conjectus eſt. Poſt à Paulo literis allatis, cùm idem dies conſtitiſſet, & agro à ſenatu, & vacatione donatus eſt. Hanc eandem hiſtoriam Val. Max. lib. 1. cap. *de miraculis* refert, penè verba Ciceronis recitans: ſtellarum autem attributarum Caſtori & Polluci meminit Cicero lib. 1. *de divinatione: Cùm multis ſignis Lacedæmoniorum calamitas denuntiaretur. Nanque Lyſandri, qui Lacedæmoniorum clariſſimus fuerat, ſtatuæ, quæ Delphis ſtabat, in capite corona ſubito extitit ex aſperis herbis, & agreſtibus, ſtellæque aureæ, quæ Delphis erant à Lacedemoniis poſitæ, poſt navalem illam victoriam Lyſandri, qua Athenienſes conciderunt: qua in pugna, quia Caſtor & Pollux, cum Lacedæmoniorum claſſe viſi eſſe dicebantur, eorum in ſigna deorum ſtellæ aureæ, quas dixi, Delphis poſitæ, paulò ante Leuctricam pugnam deciderunt, neque repertæ ſunt*: hactenus Cicero, cujus verba hic volui referre, ut tota res numiſma noſtrum clarum reddat, quem locum non ſat menti occurrentem mihi in memoriam redegit OTTOBONVS POZZETVS Sablonetenſis, qui à civibus meis, ut Græcas, Latináſque literas publicè profiteatur, ſuperioribus annis conductus, munus ſibi delatum, ac demandatum inſigniter, ac præclarè obit. Nam in prælectionibus, hortatoriis orationibus, quæ ſcholaſticos ad literarum ſtudia animoſiores accendant, uti ſolet, ſtylóque & facundia Ciceroniana, vir mehercule ita eruditus ac facundus, ut dignus ſit, quem auctiori ſalario civitas Placentia demereatur. Sed ad rem: Plutarchus in vita Pauli Æmilii refert, cum Populus Romanus in Theatro ſederet ad ſpectaculum equeſtrium ludorum, nunciatum fuiſſe Paulum Æmilium totam Macedoniam ſuperatis magno certamine hoſtibus cœpiſſe, ejúſque famæ cùm non inveniretur autor, poſtridie in Theatro reſidiſſe, non multò pòſt conſpectos fuiſſe ab exercitu venientes viros duos proceris ac venuſtis corporibus, ea, quæ in prælio geſta fuerant nuntiantes, creditúmque eſt tunc illos fuiſſe Caſtorem, & Pollucem,

lucem, ac primus, qui obviavit ipſis in foro equos multo fluentes ſudore ſiccantibus, cùm illa quæ de victoria nuntiabant non crederet, ipſi leviter arridentes, barbam ejus manibus attrectaſſe dicuntur, & ex fuſca in flavam convertiſſe, atque hoc modo, & aſſertioni ſuæ fidem, & viro cognomentum *Aenobarbi* fecerunt. Hæc Plutarchus. Apud Sagram Locrenſium conſpecti ſunt etiam in albis equis ſedentes Caſtor & Pollux. Symonidi etiam Poëtæ apparuiſſe duos juvenes eſt teſtis Val. Max. quos Caſtorem & Pollucem fuiſſe compertum eſt. Sed his dictis, nonnihil etiam de duabus ſtellis ratiocinemur: cur autem ſtellas Caſtori, & Polluci attribuat antiquitas, ne plura dicam, quàm hoc loco conveniat, pauca hic dixiſſe ſufficiat. Creditum eſt Jovem in formam ſtellæ mutatum, Ledam vitiaſſe, & inde Caſtorem & Pollucem genuiſſe, deinde Helenam, hinc apparere ſtellas duas navigantibus ſolere elicitum eſt, quod etiam ſignum dictum eſt ἀϑυλακὸν, benignè & humanitus Athenienſibus eos affuiſſe dicitur, vel quòd navigantes ſervare crederentur ſtellæ ipſæ apparentes ſuprà, & longè. Cur autem & Caſtor & Pollux fratres alter alterum alterna morte redemerit, ut eſt apud Virgilium in ſexto: curque ità ſit effictum, Servius citato proximè loco ita exponit, quia hoc pacto horum ſtellæ ſe habent, ut occidente una, oriatur altera, quod ad exemplum permanentis amicitiæ ſolet adduci & trahi, quemadmodum ad me ſcribens elegum carmen FEDERICVS Scotus comes illuſtris ità cecinit,

Quòd petis, ut fratrem fraterno frater amore
Proſequar, unde queunt multa venire bona.
Non tantum Pollux germanum fertur amâſſe,
Quem redimens totiens itque reditque viam,
Cùm malit perferre ſuo pro Caſtore lethum,.
Vivat ut alterna lætus uterque mora.

Hos fratres Homerus ἑτερημέρους vocavit, hoc eſt, qui alternis diebus fata ſubirent, lib. *Iliados* iij. Pauſanias in *Laconicis* ſcribit, Caſtorem, & Pollucem xl. anno poſtquam pugnaſſent adverſus Idam & Lynceum, in Deorum numerum fuiſſe relatos. Scribit Diodorus Siculus rem annotatu dignam, Orpheum cùm tempeſtate unà cum cæteris Argonautis agitaretur, diis Samothracibus vota feciſſe pro ſalute, ac incolumitate, & extemplo ſedatam tempeſtatem, cùm duo aſtra,


aſtra, ſupra Pollucis, & Caſtoris capita, cecidiſſent, Deorúmque ſe providentia ſervatos credidêre, *Unde*, inquit, *factum eſt, ut qui tempeſtate deprehenſi forent, Samothracibus Deis vota facerent, aſtráque apparentia Caſtori, & Polluci attribuerentur.* Hæc fermè Diodorus. Scribit Orpheus ipſe in *Argonautis*, quòd cùm eſſent Argonautæ tempeſtate & procellis agitati, arrepta lyra tum cantare cœpiſſe, quo cantu mare pacatum, ingentemque ſplendorem ſupra Caſtoris & Pollucis capita affulſiſſe. Quod & Val. Flaccus repetit. Jovem enim ita in primo inducit:

Dixit, & ingenti flammantem nubila ſulco,
Direxit per inane facem, quæ puppe propinqua
In bifidum diſceſſit iter, fratreſque petivit
Tyndareos, placida & mediis in frontibus hæſit
Protinus amborum, lumenque innoxia fudit
Purpureum, miſeris olim implorabile nautis.

Petrus Coſtalius de Caſtore & Polluce in pegmatibus ſuis epigramma quidem cultum graphicè depinxit cum enarrationibus. Et hæc quidem de ſtellis Caſtoris & Pollucis ſatis. Qui plura vult ſcire, adeat Plinium libro *rei Natur.* ſecundo, cap xxxvij. cujus verba quidem pulcherrima hoc loco appoſuiſſem, niſi nimis prolixus eſſem: rogo tamen lectorem, ut omnino locum Plinii legat. Hic poſtquam de pileatis fratribus ſuprà mentionem feci, addam & illud quod Apulejus in x. caſſides in capite geſtare ſcribit ſtellarum apicibus inſignes. Plura alia ad hanc rem Caſtoris & Pollucis, doctè noſter Gyraldus in lib. *de diis gentium* cumulat, à quo etiam nos pleraque accepimus, cùm ad numiſma maximè facerent. Nam quid illo Val. Flacci carmine aptius reperiri poteſt, cùm penè numiſma ante oculos (fortaſſe ab illo nunquam viſum) ponat? Ita mehercule cum autoribus conferendi ſunt nummi argentei, ut ex collatione facta antiquitas veneranda emergat. Quo loco autem Romæ fuerit templum Caſtoris & Pollucis, varia eſt ſcriptorum opinio. Marlianus verò lib. iij. *Topographiæ Romæ*, ait in foro fuiſſe, cui adſtipulatur Plinius lib. xxxv. cap. iiij. ibi enim Caſtores, ac Victoriam poſuiſſe Auguſtum refert. Dionyſius autem non procul ab æde Veſtæ fuiſſe meminit, his verbis, *Hujus autem inopinatæ, admirabiliſque apparitionis, cùm ſigna adhuc Romæ multa, tum verò eſt ædes Pol-*

ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

Pollucis, & Caſtoris, quam ſupra forum extruxit civitas, ubi viſa ſunt illorum ſimulacra, & mox ſpecie pugilum, equóſque madidos ſudore ad ſcaturiginem, juxta ædem Veſtæ manantem, abluere. Appianus autem commemorat Aſelium prætorem fortè ſacra Caſtori & Polluci in foro facientem, cùm quidam lapide phialam excuſſiſſet, ad Veſtæ ædem cucurriſſe: ex quorum verbis apparet ædem Caſtorum prope Veſtæ, forúmque Romanum ita ſitam, ut à fronte hoc, illam verò à tergo habuerit. Hanc Caſtoris ædem A. Poſthumius dictator bello Latino vovit, ejuſque filius duûmvir creatus dedicavit: autor Livius lib. iij. decad. primæ. Cicero pro domo ſua, atque pro Sextio ejus gradus à Clodio revulſos teſtatur, & S. C. concionéſque in eadem ſæpe habitas. Aſconius verò L. Metellum hanc inſtauraſſe tradit. Ante eandem ædem Caſtorum fuit ſtatua Q. Marcii Tremuli equeſtris togata, qui Samnites bis devicerat, captáque Anagnia, populum ſtipendio liberaverat, ut Plinius lib. xxxiiij. cap. vj. in principio refert. Hæc ædes quamvis tantùm Caſtoris vocaretur, geminis tamen fratribus erat dedicata, exiſtimátque Marlianus eam ædem fuiſſe inter porticum Concordiæ, & Cæſaris templum, quod fuiſſe creditur in medio foro juxta Curtii lacum: autor Cor. Tacitus. In numiſmate antiquo argenteo apud me extant in anteriori orbe, duæ facies, duas ſtellas in capitibus habentes, ante ſe majorem ſtellam præferentes, & has opinor eſſe Caſtorem & Pollucem, in poſteriori orbe eſt navis cum remis in ſuperiori hunc titulum habens M. FONTEI. Hoc unum annotaſſe dignum in numiſmate ſat fuerit, equos ſine ſellis fuiſſe effictos, quos etiam in marmorea Trajani columna cochlidis Romæ ita vidimus ſculptos. Hæc igitur in Caſtoris & Pollucis numiſmate dicta ſint ſatis.

ADRIANI CAESARIS AVGVSTI SPES.

IN Adriani Imperatoris aureo numiſmate Spei effigiem hujuſmodi conſpeximus, fœmina fuit ſtans inſtitæ laciniam ſiniſtra manu nonnihil attollens, dextra in cubitum elata, pateram proferebat, in qua repoſitum inerat, velut ciborium, id eſt, vas in floris ſimilitudinem, cum hac inſcriptione, SPES P. R. Oſtendit & aliud mihi

vetus numiſma Bernardus Chriſtianus Papienſis, vir multarum artium peritus, in quo erat Alexandri Pii imperatoris Auguſti imago, ex una parte, cum his verbis, IMP. ALEXANDER PIVS AVG. in altera facie erat Spei imago, ſtantis in lacinia, manu dextra lilium prætendentis, læva pendulam veſtem elevantis à terra, cum his notis, SPES PVBLICA S. C. De Populi Romani ſpe, in Adriani vita apud Dionem, & apud Ælium Spartianum nihil reperi: nihilominus maxima ſpes in ipſo poſita fuit, quòd fuerit imperator optimus ac inſignis, qui & in bello & pace multa præclara geſſerit, quíque urbis onera ſuſtulit, qui populo congiaria dedit duplicia, qui curſum fiſcalem inſtituit, ne magiſtratus hoc onere gravaretur, qui aurum coronarium Italiæ remiſit, & qui ſecuritatem omnibus roboravit, & pleraque alia beneficia Romanæ Reipublicæ præſtitit, & qui ſummos jureconſultos Celſum, Neratium Priſcum, Salvium Julianum in conſilia adhibuit, & in ſumma familiaritate philoſophos Epictetum, & Heliodorum habuit, nécnon grammaticos, muſicos, rhetores, geometras, pictores, Aſtrologos: quos omnes ditatos honoratóſque à profeſſione dimiſit: qui & juxta morem eorum temporum, princeps cauſas agnovit, & ſenatores & equites Romanos in conſilium advocans, & ſententiam ex omnium deliberatione protulit: & hæc quidem tanti principis ornamenta, & in populum Romanum collata beneficia videntur potuiſſe maximam ſpem in republica concitaſſe, ut urbs rerum domina in virtutibus Adriani ſpes ſuas collocaret, & ne de clementia & humanitate benigni principis unquàm deſperaret: meritò igitur ex altera parte monetæ eſt lilii effigies & ciborium, lilium autem Junoni eſt flos dicatus ob candorem ſuum, ſi quidem, ut ait Antonius Thyleſius Coſſentinas lib. *de coronis*, Pronuba Juno lilia ſibi legit candentia exorta (ut ajunt) ex ipſius lacte, in terram effuſo, cum in novercæ dormientis mammam infans Hercules invaſiſſet: unde roſæ dicuntur *Junoniæ:* memini me ſuperioribus annis, cùm eſſem Patavii, legere carmen flebile Lilii Gregorii Gyraldi in obitum immaturum Alphonſi Mayanthi adoleſcentis probi, ac optimæ ſpei pueri, nécnon literati, quíque mihi in Ferrarienſi Gymnaſio commilitio familiaris fuit, qui plures ad me ſcripſit epiſtolas & carmina eleganti eruditione inſperſa. Cujus orationem publicè habitam manu ipſius ſcriptam, & ad me

Digitized by Google

me miſſam, quandoque ſum editurus, & ſi ſciam jam editam à quibuſdam Ferrariæ: nos tamen manibus piis, animulæque ejus, cujus dimidium fuimus, debentes, quia nonnulla addidit ipſe, quæ impreſſa non ſunt, cum ecloga docta & beneculta edemus. Carmen itaque Gyraldi in obitum Alphonſi Mayanthi fuit hoc:

Ut flos Junonis, cui vix mucrone renidet,
Lacte coma, atque croco fulminis igne cadit.
Sic quoque flos Maii nunc concidis indole tanta,
Virtutum & morum qui documenta dabas.

Non poſſum me abſtinere, quin hic lachrymas in funere amici, à me habitas ſubſcribam:

Immitis qui te Boreas, pulcherrime florum,
Abſtulit, indigna febre perempte puer?
Alphònſe ò Maii primis ſublate ſub annis,
Et puer æterna vivere digne roſa.
Hæc habeas noſtri æternùm ſolatia amoris,
Et tibi perpetuo flore vireſcat humus.

Sed ad Spem redeamus, quam viridi indutam palla, mos fuit veterum pingere, vel Alciato ipſo teſte in emblematis, quòd autem ſpem lilio antiquitas denotaverit, ut paſſim in nummis antiquis videmus, hac ego cauſa factum crediderim, quòd lilium albedine ſua pulchrum ac pudicum deſignet: vel quòd, cùm omnes flores, fructus & fruges mox adfuturos promittant, intérque flores lilium altius exurgat, hoc eligere maluerint. Virgilius certè antiquitatis ſcientiſſimus, cùm Marci Marcelli Divi Auguſti nepotis præclaram indolem laudaret, ſed qui brevi (ut ſigna frontis parum lætæ, & dejecti lumina vultus oſtentabant) fato eſſet conceſſurus & moriturus, hæc quæ præreptam iri publicam populi Romani ſpem ex facto egregii juvenis deſignarent, ſubdidit carmina,

Nec puer Iliaca quiſquam de gente Latinos
In tantum ſpe tollet avos, nec Romula quondam
Ullo ſe tantum tellus jactabit alumno.

Et paulo pòſt:

Heu miſerande puer, ſiquà fata aſpera rumpas,
Tu Marcellus eris: manibus date lilia plenis:
Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis

 His

Digitized by Google

His ſaltem accumulem donis, & fungar inani
Munere.

Sed & in alio numiſmate vetuſto fuit ſpes publica ſtans choata, choam ſuſtollens lęva, dextra lilium porrigens & mitram. Vir prudens Alciatus noſter multiſcius, in eleganti ac propè divino Hieroglyphicorum emblematum libello, hoc pacto ſimulachrum ſpei depinxit: Spem viridi indutam palla, & ſedentem ſupra dolium, cum avicula Cornice, & Nemeſi, & bono eventu, & Cupidine: hanc eandem imaginem in camino ſuperiori cujuſdam aulæ ſuæ domus pingi curavit Franciſcus Alciatus inſignis ac doctus Jureconſultus, elegánſque bonarum artium & ſtudioſus juvenis, necnon antiquitatis maximè admirator ac ſtudioſus, ſed & amator & fautor, & interpres eruditus. Carmina autem Alciati ſunt hæc:

Quæ Dea tam læto ſuſpectans ſydera vultu?
Cujus peniculis reddita imago fuit?
Elpidii fecêre manus. Ego nominor illa,
Quæ miſeris promptam Spes bona præſtat opem.
Cur viridis tibi palla? Quòd omnia me duce vernent.
Quid manibus mortis tela refracta geris?
Quod vivos ſperare decet, præcido ſepultis.
Cur in dolioli tegmine pigra ſedes?
Sola domi manſi volitantibus undique noxis,
Aſcræi ut docuit muſa verenda ſenis.
Quæ tibi adeſt volucris? Cornix fidiſſimus oſcen,
Eſt benè cùm nequeat dicere, dicit, erit.
Qui comites? Bonus eventus, præcepſque Cupido,
Qui præeunt: vigilum ſomnia vana vocat.
Quæ tibi juncta aſtat? Scelerum Ramnuſia vindex,
Scilicet ut ſperes nil niſi quod liceat.

Ædem autem Spei, qui in foro olitorio fuit, (ut animadvertit Marlianus) fulmine ictam bello Punico inquit Livius in primo libro iij. Decadis: idem libro iiij. Q. Fabio Cos. filio & Tito Sempronio Graccho Coss. incendio ait conflagratam. M. Cicero in *legibus* prodidit Spem à Collatino conſecratam, P. quidem victor Spei novum templum in vij. urbis regione ſtatuit, hoc eſt in via lata. Spei templum incenſum ſcribit Dion libro *Hiſtor.* l. ante bellum

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

lum Actiacum cum aliis pleriſque ædificiis. De Spe Tibullus noſter ſic cecinit,

Jam mala finiſſem læto, ſed credula ſemper
Spes fovet, & melius cras fore ſemper ait.
Spes alit Agricolas, ſpes ſulcis credit aratis
Semina, quæ tardo fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine piſces,
Cùm tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida ſolatur compede vinctum,
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.
Spes facilem Nemeſim ſpondet mihi, ſed negat illa,
Hei mihi, ne vincas, dura puella, Deam.

Spem verò eſſe vigilantium hominum ſomnia dicebat Plato, ut refert Ælianus lib. xiij. Variæ Hiſtoriæ.

TITI VESPASIANI AVGVSTI ANNONA.

IN Tiberii Deciani Forojulienſis Juriſconſulti doctiſſimi, qui Patavii jus civile publicè profitetur, numiſmate quodam Titi Veſpaſiani æreo hæ fuëre notæ, IMP. T. CAES. VESPA. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. In altera parte erat annona Auguſti, cum his verbis, ANNONA. AVG. mulier erat ibi ſtans cum Pluto bidenti innitente, in manu dextra: in læva cum cornucopiæ. Ibi fuit vas cum quibuſdam ſpicis, & poſt eam fuit puppis ſeu roſtrum navis, quæ quidem omnia abundantiam deſignant. Plutus enim divitiarum Deus eſt, & dator, cornucopiæ ubertatem præ ſe fert, vas cum ſpicis Cereri dicatur, ex opima tritura frumenti. Navis verò, quæ oneraria fuit, qua importabantur in urbem mercimonia, & mercaturæ frumentorum: vel quia mos fuit, ut qui eſſent Latini, Romanam civitatem acciperent: ſi non minorem, quam decem millia modiorum navem fabricaſſent, & Romam ſex annis frumentum portaſſent ex edicto divi Claudii, ut Ulpianus in cap. iij. *de Latinis*, in viris corpore refert, & Scævola in l. *his, qui naves* .ff. *de vacat. & excuſatio. munerum* meminit. Suetonius in *Claudio* ait Claudium propoſuiſſe negotiatoribus certa lucra, ſuſcepto in


ſe damno, cui quid per tempeſtates accidiſſet: & naves mercaturæ cauſa fabricantibus magna commoda.

GORDIANI IMP. AVGVSTI VIRTVS.

IN alio numiſmate maſculam virtutem effictam vidi, (quod poſteà mihi dono dedit Franciſcus Valla Novarienſis) hoc pacto, in uno quidem Gordiani Imperatoris, in cujus altera parte imago erat ſenis barbati, nudi, clavæ innitentis, cum leonis pelle brachia advoluta, cum hac inſcriptione, VIRTVTI AVGVSTI. & hæc quidem per ſe ſat clara, cùm virtutes Herculis pleríſque imperatoribus à P. R. attributæ, ejuſque herois honores eiſdem declarati ſæpè fuerint, ſibíque Herculis nomen aliqui etiam Cæſares ſat ſuperbè arripuerint, quòd hiſtoria Commodi imperatoris declarat, cùm Herculem Romanum Commodum ſe dixiſſe refert: quod in ejus numiſmate declaravimus. ἀθληγελικῶς autem ſi vis ſcire xij. certamina Herculis, quæ ad virtutem ſpectant, lege magni Alciati emblematum libellum, ubi de honore agit. Romæ in Palatio conſervatorum vidi ſtatuam æneam Herculis ſtantis nudi, & clavæ innitentis altera manu, in altera verò manu malum tenentis: & erat quidem imberbis Juvenis forma auro ſuperfuſa, & illa quidem in ſuperiori aula, ubi plures aliæ ſtatuæ æneæ conſpiciuntur. In numiſmate Vitellii hujuſmodi imaginem virtutis vidi, quàm ſimillimam ejus ſenis, de quo ſuprà mentionem feci: quæ & in Numeriani fuit nummo, cum hac inſcriptione, VIRTVS AVGVSTI. in Galbæ numiſmate fuit imago Juvenis nudi, ſtantis, in dextra haſtam tenentis, in altera teſſeram, aut quid ſimile, his verbis, VIRTVS. In epigrammatôn Græcorum lib. iij. in inſcriptione xiiij. ΕΙΣ ΗΡΩΑΣ. in epigrammate Aſclepiadæ inducitur ſuper tumulo Aiacis ſedens virtus, & ita loquens:

> Ἅδ' ἐγὼ ἀτλάμων ἀρετὰ παρὰ τῷδε κάθημαι
> Αἴαντος τύμβῳ, κειραμένα πλοκάμους,
> Θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβολημένα, ὅνεκ' ἀχαιοῖς
> Α δολόφρων ἀπάτα, κρέσσον ἐμεῦ κέκριται.

Hoc Epigramma Alciatus in Aureo Emblematum libello hunc in mo-



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE ... ROMA

Digitized by Google

ROMA

Digitized by Google

Pag. 127.



Digitized by Google

modum imitatus eſt, in inſcriptione, *In victoriam dolo partam:*

Ajacis tumulum lachrymis ego perluo Virtus,
Heu miſera albentes dilacerata comas.
Scilicet hoc reſtabat adhuc, ut judice Græco
Vincerer: & cauſa ſtet potiore dolus.

ANTONINI PII CONSECRATIO.

JACOBO ANTONIO DE VIVOLIS,

Civi Placentino, & collegiatæ eccleſiæ Divi Theodori Papiæ præpoſito, ſacrique palatii apoſtolici & aulæ Lateranenſis comiti palatino, & equiti aurato

CONSTANTIVS LANDVS, COMES,

S. P. D.

ATTVLIT mihi Joſephus Bentius Novocomenſis juris civilis perſtudioſus ſcholaſticus, nomine tuo numiſma aureum Divi Antonini Pii, percolende ac clariſſime Jacobe Antoni Vivoli, ut tibi explicare velim, quod quia aliàs à me prolixa interpretatione expoſitum fuit, nempè dum eundem nummum Antonini Pii à Theodoro à Sancto Georgio perilluſtri adoleſcente mihi dono datum, expoſuiſſem, ut in meis quinquaginta numiſmatibus, quæ annis ſuperioribus ſum interpretatus, ſatis apparet, nunc hic tibi omnia ad unguem narrare non ſuppetit tempus, tum quia lectionibus philoſophiæ incumbimus, tum quia brevi exibunt noſtræ interpretationes: illud hîc ſaltem habeto, numiſma tuum perantiquum eſſe, Antoniníque Pii imaginem præ ſe ferre certam, hic enim Divus vocatus fuit à ſenatu, & cum jucunditate. Pii etiam nomen meruit, propterea quòd, ut Julius Capitolinus refert, mortuo Adriano apud Bajas, reliquias ejus Romam pervexit, eáſque ſanctè ac reverenter in hortis Domitiæ collocavit, cunctíſque repugnantibus, inter Divos eum retulit, clypeúmque ei magnificentiſſimum poſuit, & ſacerdotes ei inſtituit, conſul etiam fuit cum Catilio Severo, quæſtor ac prætor fuit. Britannos, Mauros, Dacos, Germanos ſubdidit, Judæóſ-

dæóſque rebellantes contudit. Alanos etiam refrenavit, in Achaja etiam, atque in Ægypto rebelliones repreſſit. Hic Numæ Pompilio bonitate comparatus fuit: quod autem in poſteriori numiſmatis parte effictum, tabernaculi effigies eſt, in quo plurima aromata condebantur, ubi eboreus lectus erat ſtratus, in quo imago cerea defuncti imperatoris jacebat: in cujus faſtigio inerat aquila, ad quam ignis paulatim aſcendens, illam vincula rumpentem, ut effugeret in cœlum, efficiebat: ſicque defuncti imperatoris animam in cœlum fingebatur ferre: ſicque conſecratio ſeu relatio inter Divos fiebat: quod verbum ſeu dictio in numiſmate ficta refertur ſic, CONSECRATIO. Cujus totam effigiem petendam eſſe ab Herodiano authore Græco lib. 4. jamdiu in meis numiſmatibus admonui. Ideo hic verba ejus non operæ eſt pretium ut ponam. Gradibus autem quatuor fiebat tabernaculum ligneum quidem, ut in numiſmate apparet, quadrangula forma. Sed de his ſatis. Hæc igitur pauca in bonam partem accipias, percolende mi pater, quem jam jam cupio ex vultu & facie cognoſcere, cùm præcipuè virtus tua ac dignitas, communiſque patria Placentia me id mirum in modum facere impellant. Vale religioſe Antiſtes, præſéſque templi Divi Theodori Papienſis, méque tui amantiſſimum jam redama. Nono Cal. Maii. M. D. LV.

C. POSTVMI DIANA.

Conſtantius Landus Comes Julio Puteo S. D. P.

CVM heri in celebri pompa Tancredum Sarzanenſem ex Hetruria juvenem inſulis doctoreis à Franciſco Alciato decoratum comitaremur domum, interque loquendum (ut fit) à te ego peterem, an quicquam novi ex Placentia urbe, (cùm nuperrimè illinc adveneris) afferres: narratíſque quibuſdam à te paucis, ſubjeciſti poſtremò te nummum quendam argenteum, quem mihi oſtenderes, tecum habere, ſtatímque è crumena nummo tracto dediſti mihi, ut explicem, ſuperinde dictitans te mihi illum largiri, quo à me accepto (cùm etiam munus rejicerem) ut tantum tibi morem gererem, inter-


Pag.128
Pag.135
C POSTVMI
AED.CVR.S.C.
CN.PLANCIVS

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
Digitized by Google

terpretari cœpi, illicò ac me domum proripui, hiſtoriam igitur hanc brevem, & qualemcunque tui numiſmatis habeto, quæ à me aliàs lecta, modò ſuccurrit animo, meliora cùm reperero, ad te ſcribam: hæc nunc utcunque ſunt, legito.

In numiſmatis tui priori parte extat imago mulieris comas in nodum conglomeratas habentis, circinis utraque tempora muliebri elegantia ambientibus, in poſteriori autem parte nummi effigies ſeu ſpecies currentis canis adparet cum inſcriptione POSTVMA. Sed & in quibuſdam nummis vetuſtis argenteis eſt etiam inſcriptio, C. POSTVMIVS, cum cane currente & jaculis: ut Pierius Valerianus lib. *Hieroglyficorum* V. refert, quo loco de cane narrat. Numiſma autem C. Poſtumii argenteum ad me miſit his diebus Parma Placentiam Annibal Carus à ſecretis noſtri Ducis, vir mehercule hac tempeſtate admirabilis, & rei antiquariæ ſummus interpres, cujus ex una parte (ut interpretatur ipſe) extat Dianæ imago, ex altera canis venaticus in ſimilitudinem currentis, cum venabulo ibi jacente, literæ C. POSTVMI. ut etiam ipſe Carus muſis cariſſimus ad me miſſis literis ſignificavit. Nam ſe contuliſſe retulit mihi cum Hieronymi Tagliaferri viri in literis eminentis, numiſmate ſuum Cai Poſtumii & cum eodem ſimul Athalarici Regis Gotthorum nummum. Sed ut ego, quæ de Poſtuma aliàs legi, hìc afferrem, & de cane hìc effictο nonnulla dicam, & ſi non ad veritatem numiſmatis hujus, ne priorem laborem à me jam ſuſceptum perdam, admonens interim lectorem me non negare hoc numiſma eſſe C. Poſtumii, & Dianæ, quæ in nummi poſteriori parte ſit: imo ex Pier. Val. & Annibalis Cari ſententia idem probare. Hæc igitur Poſtuma, quæ ſic in numiſmate efficta eſt, Conſtantii Cæſaris & Fauſtinæ ejus uxoris ſecundæ fuit filia, ejus nempè filia Conſtantii, qui fuit Conſtantini magni filius, cui in diviſione imperii inter fratres Conſtantinum & Conſtantem obtigit Oriens, hanc poſt ſe reliquit Conſtantius, cùm adhuc prægnantem Fauſtinam reliquiſſet moriens. Ideò fortè hoc nomen ſortita fuit Poſtuma ab accidente, quòd poſt mortem Conſtantii patris orta fuiſſet, hæc cùm adoleviſſet Gratiano Imperatori jure matrimonii copulata fuit. Qui Gratianus ex Valentiniano, & Severa matre Syrmi natus fuit, fratrem habuit Valentinianum, de quo in Codice Juſtiniani extat mentio, nécnon conſtitutio-

tutiones & ejus reſcripta leguntur. Hæc Poſtuma aliquando à matris nomine *Fauſtina* dicta eſt, aliquando etiam à patris cognomine vocitata eſt *Conſtantia Poſtuma*. Solebant enim veteres Romani à parentibus ſuis cognomina arripere: nempè patris aut matris veſtigia virtutum ſectantes, familiæque nomina, arbore veluti quadam ramos fulciente latè propagantes à memoria enim (ut inquit Hammonius in *æquivocis*) fiunt æquivoca: uti cùm quis filium ſuum majorum nomine vocaverit: à ſpe etiam fiunt, ut ſi quis filium philoſophum ſperans futurum, *Platonem* nominaverit, ſæpenumero uſu venit, ut quod factum à memoria eſt indito à ſpe nomini concurrat: uti cùm compertus fuerit avus tale genus ſtudii tractaſſe. Nec enim hanc Poſtumam à gente Poſtumia Romæ olim celebri familia denominatam crediderim, à qua etiam A. Poſtumius dictator, prætor, & conſul emanavit. De familia Poſtumia intellexiſſe videtur Virgilius in ſexto *Æneidos* hoc verſu:

Sylvius Albanum nomen, tua Poſtuma proles.

Vt ſit *Poſtuma* pro *Poſtumia* dicta ex figura ſyncopæ: ſic enim ille locus Virgilii exponi debet, ut de prole Poſtumii deque Poſtumia familia intelligatur, non quòd Sylvius ſit proles poſtuma, hoc eſt poſt humum nata, ut grammatici paſſim ineptè interpretantur: in hoc nummo illud annotatu dignum eſſe opinor (modò non inſit artificis mendum) *Poſtumam* ſine flatili litera ſcriptam legi: ſic enim in pleriſque publicis ſpectationibus animadverti antiquis, & præcipuè in inſcriptione marmoris antiqui apud vicum Galeratum Mediolani, quæ eſt Cai Poſtumii priſci in hunc modum ſcripta, C. POSTVMIO PRISCO C. POSTVMIVS DROMO LIBERTO PIENTISS. IN AGR. P. XXX. IN F. P. XX. Hæc Poſtuma pulcherrima etiam fuit mulier & venuſta, nempè formoſitatis parentum Conſtantii, & Fauſtinæ particeps: quod autem *Poſtuma* ſit dicta: ſic enim veteres ſolebant nomina imponere filiis ab accidentibus vel ab ordine, ſic enim *Primam*, *Secundam*, *Tertiam*, *Maniam*, *Luciam*, *Poſtumam*, ut Hermolaus refert in principio ſecundæ editionis *caſtigationum Plinianarum*, *Primam*, *Secundam*, *Tertiam* ab ordine procreationis, *Maniam* quòd mane, *Luciam* quod luce, *Poſtumam* quòd poſt patris mortem nati eſſent, appellaverunt, & his lapidum teſtimonia conſentiunt. Sed hæc ad priorem nummi partem ſatis.

Quod

Digitized by Google

Quod verò currens canis in poſteriori numiſmatis parte ſit effictus, id nondum comperi, nec quicquam nunc ſuccurrit, quod de eo loquar, niſi id fortè factum ſit, quod plerique ſub ſigno caniculæ correpti febre decedant, ut ait Artemidorus, quòd etiam inſcriptio marmorea apud me indicat, cum canis imagine, vel quia Hecatæ id animal jugulabatur (ut ait Sophron) vel ut Artemidorus Daldianus lib. ij. *Onirocriticôn* cap. xj. tradit, quia canis, qui non ſit venaticus, vel Melitæus, rei familiaris curam ſignificat, quod ad numiſma facere poſſet: cùm cura familiaris, & domus regimen ad ipſas mulieres ſpectet, vel ut Orus Apollo in *Hieroglyphicis* ait, quòd Ægyptii, cùm magiſtratum judicémve indicare volebant, canem pingebant & ſtolam regiam juxta jacentem: ſcribit etiam Julius Pollux in *Onomaſtico* ad Commodum Imperatorem quòd canis ſectabatur Herculem, erátque mos antiquis, quòd ſimul cum heroibus canes in concionem ingrederentur. Hinc Virgilius poëtarum præcipuus lib. *Æneid.* viij. morem hunc innuere voluit, cùm ſic cecinit,

Nècnon & gemini cuſtodes limine ab alto
Procedunt, greſſumque canes comitantur herilem.

Vel etiam canis in numiſmate fortè eſt venaticus, videntur enim ibi fixa jacere duo ſpicula ſeu jacula ea forte ratione, quòd aut Gratianus hujus Poſtumæ marit us, venatione ſe oblectaverit, aut potius, quia Conſtantius ejus Poſtumæ pater mirus artifex in ſagittis jaculiſve jaciundis extiterit, ut eſt author Eutropius lib. xj. *rerum Romanarum* in fine hiſtoriæ Conſtantii, febréque nimia intrinſecus exurente obierit. Cervam autem fuiſſe potius quis alius augurabitur, quàm quòd verè ſciat ob vetuſtatem numiſmatis, in quo tamen non apparent cornua, nec cauda etiam ſi ſit cervus, cervam tamen ponamus quòd ſit, ab eo quod ſuperius dixi, non multum variabit expoſitio noſtra, cùm Conſtantius peritiſſimus fuerit in jaculandis ſagittis; Gratianúſque venationem adamaverit, cervam tamen cum cornibus effictam vidit nemo, niſi à pictoribus, aut ſculptoribus, poëtiſve luſus gratia picta, ſculptáve fuerit, aut per ignorantiam craſſam, quæ latæ culpæ attribui ſolet, deliniata fuerit, quíque ita crederet ridiculus fortè apud pleroſque haberetur: conſtat enim

R 2 apud

apud opinatiſſimos ſcriptores cervas non emittere cornua. Sicuti & à Plinio illud traditum extat, in Africa cervos non reperiri, unde mirum quod apud Virgilium in quarto *Æneid.* Aſcanius apud Dionem venari cervos dicatur, cùm tamen Plinius dicat non naſci in Africa cervos. Franciſcus etiam Petrarcha Hetruſcæ poëtices princeps ſuggillatur à viris doctis quòd in rythmo quodam dum Lauram ſuam cervæ comparat, eam duobus cornibus auratis ſibi apparuiſſe faciat, cùm illud pateat cervas non emittere (ut jam dixi) cornua, huncque errorem, ſi modo eſt error, Franciſci Petrarchæ animadvertit vir hac tempeſtate celebris in libris ſuis *de Arte poëtica* Mutius Hiſtrienſis qui & *de duello* librum conſcripſit; excuſari tamen poſſet Petrarcha tanquam Poëta, qui metaphoricôs loquutus ſit, per cornua intextas comas Lauræ intelligens, ſic enim ad ornatum comarum, quo utuntur matronæ Gallicæ, alluſit, ſic & P. Virgilius in nymphas fuiſſe Æneæ naves commutatas, more fabuloſi poëtæ deſcribit, quod tamen ridiculum apparere poſſet poëtarum artem non tenentibus, ſic enim & Pindarus in *Olympiis* ode, quæ Theroni ſcribit, ἐις θεοξένια. ita enim ibi,

> Χρυσόκερων ἔλαφον θήλειαν ἄξον-
> θ' ἄν ποτε Ταϋγέτα
> Ἀντιθεῖσ' Ὀρθωσία, ἔγραψεν ἱεράν.

quo loco interpres introductam ait à poëtis cornutam cervam, cujuſmodi ea fuit, quæ Thelephum lactavit, poſitum hoc idem ab Anacreonte, ſed à Zenodoto correctum, ob vulgatam hiſtoriam, quòd in eo genere fœminæ cornua non habeant, nam quod ſcripſerat Anacreon ἄγαν ὥς διάτε νεβρόν νεοθηλέα γαλαθηνὸν ὅστ' ἐν ὕλαις κεροεσσῆς ὑπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη, pro locutione κεροεσσῆς, quod *corningeræ* ſignificat, Zenodotus is emunctæ naris cenſor ἐροέσσης repoſuit, hoc eſt *deſideratæ* vel *amabilis*, ſubiungit idem interpres Pindari inventas tamen aliquando, nec incongruum eſſe aliquas habere cornua, quemadmodum in elephantis de quibus tradunt Æthiopicos & Lybicos tam mares quam fœminas habere dentes, cùm tamen in India, ut obſervavit Amytianus hujus generis fœminæ ſine dentibus conſpiciantur, & hæc quidem ex Pindari interprete animadvertit Pierius Val. lib. 7. *Hieroglyphicorum*, ubi agit de cervo. Illud hoc loco addidiſſe non erit inutile in gratiam profeſſorum Ethruſcæ linguæ, & ad

Digitized by Google

ad poëtæ locum illuſtrandum, cùm enim Petrarcha narrat ſcriptum extitiſſe circa torquem auream, quam collo geſtabat cerva, hoc ſenſu, quòd nemo eam tangeret, quia libera à Cæſare facta fuiſſet, Cæſariſque eſſet cerva, alluſiſſe Franciſcum Petrarcham ad hiſtoriam antiquiſſimam æneæ torquis apud Paucecios è collo cervi extractæ, in qua inſcriptæ erant literæ, DIOMEDES DIANÆ. hujus rei meminit Nicolaus Leonicus Thomæus philoſophus clariſſimus ac doctiſſimus, in libro primo *variæ hiſtoriæ* cap. xcij. Illud etiam non ingratum fuerit addidiſſe, quòd veriſimilius numiſmati accedit, in quo canem fuiſſe fictum exiſtimamus & pro certo habemus, propterea quòd mos, conſuetudóque non rara fuerit Cæſarum & imperatorum ad populi benevolentiam & favorem conciliandum venationes edere, ut ex hiſtoriarum lectione patet, tum Julii Capitolini, tum Ælii Spartiani, & ex Juſtiniani Cæſaris collat. 4. *in aute. de conſul.* M. quidem Cicero in ea epiſtola M. Mario ſcripta lib. 7. familiarium, in qua deſcribit quoſdam ludos Romæ habitos, binas venationes narrat per quinque dies Romæ factos in admirationem vulgi & turbæ, ubi etiam hæc verba ſubjicit, *Quæ poteſt eſſe homini politico delectatio? cùm aut homo imbecillus à valentiſſima beſtia laniatur, aut præclara beſtia venabulo tranſverberatur? extrema dies venationis fuit elephantorum, in qua nulla delectatio extitit, cùm etiam miſericordia quædam conſecuta eſt, atque opinio hujuſmodi quandam illi belluæ cum genere humano eſſe ſocietatem.* Hactenus Cicero, apud Caſſiodorum libro v. *variarum*, venationis genus & forma ferarum cum hominibus deſcribitur, cujus verba hîc adſcriberem, ni prolixitatem vitare ſtuderem. Sed ſtudioſus unuſquiſque per ſe locum facillimè reperiet. Illud potius dicamus hoc loco, in nummo noſtro currentem canem celeritatem ſignificare, ex jaculis, quæ ſunt infernè ſita: unde rem properanter confectam, victoriámque cito partam (juxta augurum præcepta) indicari conjicimus, quod ſi cauda exporrecta, & ſurrecta foret, dum ſequeretur prædam, aut ſic temere laſciviret, ut ſurſum verſus incurvatam haberet, portentum futuræ victoriæ deſignaret ex Aruſpicina. Illud etiam ſciendum, Prætorum, & Ædilium olim munus fuiſſe, ut ſicut & ludorum ſcenicorum, ita & venationum curam haberent. Quod & Cælius apud Ciceronem lib. viij. familiarium epiſtolarum

innuere videtur, dum ſe greges pantherarum non habere ſcribit: in libro Græcorum epigrammatum primo, quæ his diebus mihi privatim domi interpretabatur Bartholomæus Moyranus in literis Græcis abunde verſatus, necnon philoſophicis præceptis ornatus, hoc carmen ſanè elegans in prima pagella λέοντος φιλοσόφου, ſe offert, cui inſcriptio eſt, εἰς τὸ μονημέρον. id eſt, in feſtum, ſeu ſpectaculum unius diei, id enim vox Græca ſignificare videtur: epigramma autem hujuſmodi eſt,

Τοξότα, πιερίδων μεδέων, ἑκατηβόλε Φοῖβε,
Εἰπὲ κασιγνήτῃ κρατερὰς ἵνα θῆρας ἐγείρῃ,
Ὅσσον ἐπιψαύσῃ μερόπων δέμας, ὅσσον ἀΰσῃ,
Λαῶν τερπομένων ἱερόν στόμα. μὴ γὰρ νοήσω
Ζηνὸς μειλιχίοιο λαχὼν θρόνον, ἀνέρος οἶτον.

cujus ſenſus talis eſt, *Phœbe ſagittarie, longè jaculans, Pieridibus imperans dic ſorori, ut excitet validas feras, quatenus liceat leviter tangant hominum corpus, & quatenus ad clamorem & voluptatem populus magnum os aperiat, ne ego intelligam, qui ſortitus ſum Jovis placidi thronum, alicujus viri interitum.* Hoc autem epigramma ſic nos vertimus in Latinum carmen, non ut verbum verbo redderemus, ſed ut tantùm ſententiam ad libitum noſtro carmini accommodaremus ſic:

Phœbe, procul jaculans, idemque ſagittifer, ora
Ut Diana feras è ſylvis excitet acres
Cæſaris in laudem, populi plauſumque potentis.
Quæ tamen haud feriant jaculantis corpus inultæ,
Nam Deus in terris facit hæc ſpectacula Cæſar.

Sciendum eſt nonnullos viros doctiſſimos illud epigramma Græcum tribuere Leoni philoſopho, Cæſari ac imperatori, qui poſt defunctum Macedonem Imperatorem, Romanum imperium ſuſceperit, dictum *philoſophum* propter ſingularem eruditionem. Ideóque authorem hujus epigrammatis, ζηνὸς μειλιχίοιο λαχὼν θρόνον. hoc eſt *Jovis ſuavis* ſeu *mitis thronum tenentem in terra*, eundémque edidiſſe ſpectaculum. Ad hanc autem rem vidi his diebus proximis argenteum numiſma antiquum & pulcherrimum Gnei Planci Ædilis curulis quaſi nuper cuſum, quod M. Antonius Pectius Joannis Vamptæ Pectii ſenatoris Mediolanenſis nepos, adoleſcens optimus mihi

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

mihi oſtendit, in cujus nummi primo latere erant hæ literæ, GN. PLANCVS AED. CVR. S. C. in poſteriori autem latere erat cervus cornibus eminens, ac inibi arcus & ſagitta, quodam vinculo ad jaciendum apto, erat autem Gnei Planci imago pulchri juvenis, capillis longis collum ambientibus uſque ad humeros, quodam veluti pileo caput obnubente, ac ſub pileo aliud quiddam præ ſe ferente: quod numiſma fortè aliàs, cùm aliquid ad rem legero, ſum interpretaturus, ſat fuerit oſtendiſſe nunc munus Ædilium Curulium fuiſſe circa venationes; & hæc jam dixiſſe, quæ ad numiſma noſtrum facere poſſunt, ſufficiat, ut hi plebei homines, qui hodie tractant hujuſmodi nummos antiquos, horúmque ſunt helluones, ſciant in poſterum non cujuſvis eſſe homuncionis hiſtorias reconditas in ære, & antiquitatem excutere: ſed nec mediocriter eruditorum virorum, at doctiſſimorum & excellentium.

COMMODI IMPERATORIS VENATIO.

IN Commodi Imperatoris numiſmate, quod his proximis diebus oſtendit mihi Tiberius Decianus Utinenſis Juriſconſultus, & profeſſor in manè Patavii publicus, uti doctiſſimus, ita antiquitatis ſummus indagator, ac obſervator, iſta fuerunt: ex altera parte clava erat efficta, quam circum literæ hæ legebantur, HERCVLES ROMANVS. In altera parte Commodus inſidebat equo, qui ſpeciem currentis habebat, atque jaculo feram vulnerabat in ipſo pectore: quid autem hæc omnia hoc in pulcherrimo numiſmate deſcripta ſibi vellent, cùm à me peteret Decianus, dixi tunc, hiſtoriam apud Herodianum lib. j. hujus rei extare, cúmque domum me contuliſſem, Herodianum eo loco, quo de Commodo meminit, perlegi: híc que verba, quæ ad numiſma faciunt, poſui, ut facilius quiſque perciperet, ex hiſtoriis omnia præteritæ ætatis acta cognoſci poſſe: verba autem hìc quæ Politianus è Græco tranſtulit, appoſuiſſe operæpretium fuerit, cum ad manum codicem Græcum habere non poſſimus. Scribit igitur Herodianus lib. 1. hiſtoriæ de Imperio poſt Marcum, ſive de ſuis temporibus, hunc ferè in modum, *Eò vecordiæ petulantiæque proceſſit, ut paternum primò cognomen repu-*

repudiaret, ac pro Commodo Marci filio Herculem Jovis filium juſſerit appellari, depoſitóque Romanorum principum cultu, leonis pellem ſubſterneret, manúque clavam geſtaret, ſimul purpureas ſibi atque auro intextas veſtes circundaret, non ſine omnium irriſione: quippe eodem ſchemate, & fœminarum luxum & heroum virtutem repræſentabat. Commodum etiam fortitudinem ſuam in perimendis feris publicè oſtendiſſe, ac peritiam ſagittandi, ac jaculandi habuiſſe, idem Herodianus eſt autor: ſi quidem cum temperare ſibi non ultra poſſet, publicè ſpectacula edere profeſſus, omnes ſe ſua manu feras occiſurum pollicebatur, & cum fortiſſimis quibuſque juvenum ſingulari certamine depugnaturum. Nam ita certa illi eſſe manus dicebatur, ut quodcunque deſtinaret, jaculo ſagittáve contingeret. Erant cum illo aſſiduè Parthorum lectiſſimi ſagittarii, ac Numidæ jaculatores, quos ille tamen omnes longè artificio ſuperabat. Idem etiam Herodianus refert, nudum ingreſſum eſſe Amphitheatrum, ſumptíſque armis numeros gladiatorios impleviſſe. Id verò triſte Romano populo ſpectaculum viſum, nobiliſſimum Imperatorem poſt tam multos parentis ſui, majorúmque triumphos non quidem adverſus belluas arma capere militaria, vel Romanorum Imperio congruentia, ſed ampliſſimam dignitatem turpiſſimo fœdiſſimóque cultu contaminare. Nec mirum eſſe debet, quòd ſagittandi Commodus peritus eſſet, cùm & gladiatoriis pugnis Romanum Imperium attriverit, cùm ex Fauſtina Antonini Pii Imperatoris filia, Marci verò uxore, quæ cujuſdam gladiatoris amore fuerit capta, dicatur ex concubitu illius gladiatoris natum mox Commodum, quod etiam à Julio Capitolino relatum extat: cùm tamen idem Capitolinus ex vulgari tabella circunlatum hoc afferat, qui etiam dicit quòd appellatus eſt *Hercules Romanus*, qui feras Lanuvii in Amphitheatro occidiſſet: ferunt etiam eundem Commodum ſe Alexandrum appellari voluiſſe: illum nempe cognomento Magnum Philippi Macedonum regis filium. Cujus rei etiam teſtis eſt numiſma ab eo percuſſum, quod apud eundem Decianum vidimus. Doctiſſimus etiam vir noſter Robortellus Utinenſis, & hac ætate unus, qui rem literariam maximè adjuvat, de Commodi peritia ſagittandi, & hujuſmodi, quæ de eo diximus, multa affert ex H[illegible]odiano Græco numiſma adducens: hæcque in annotationibus ſuis. Illud ampli-

Digitized by Google

ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

amplius adjecero, cum Romæ eſſem, quingenteſimo quadrageſimo quinto ſupra milleſimum, me in porticu conſervatorum Imperatoris Commodi ingens caput æneum vidiſſe, de quo Lampridius ita meminit, *Coloſſi caput depreſſit quod erat Neronis, ac ſuum impoſuit & titulum more ſolito ſubſcripſit.*

GORDIANORVM VIRTVS ET AEQVITAS.

FRANCISCVS Valla Novarienſis juvenis elegans, qui juri civili operam Ticini navat, mihi familiaris factus cùm me numiſmatibus veterum delectari perſenſiſſet, dono dedit quinque nummos perantiquos æreos, tres erant Gordianorum Cæſarum effigie inſigniti, duo reliqui Conſtantini Magni, & cujuſdam regis Ferrandi. Sed (ut puto) hujus poſtremi eſt recens memoria: nempe, ut libet conjectari ex regibus Neapolitanis, inibi eſt equus ubi ſunt verba, AEQVITAS REGNI cum litera T. Sed ut, in præſentia de Gordiano (nam eadem videtur eſſe imago, licet quod non me latet, tres fuerint Gordiani) nonnulla dicamus. Prius hic notas, ac ſigna eorum numiſmatum ponemus, dein, quæ apud hiſtoricos de eiſdem legerimus, apponemus. Notæ hæ igitur fuêre in effigie Gordiani, IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. à latere erat ejuſdem Cæſaris virtus, humana effigie ſculpta, ſed nuda, innixa verò cubitum dextrum clavæ, ſiniſtram manum in latus, his verbis VIRTVTI AVGVSTI. S. C. in altero ejuſdem Gordiani Auguſti numiſmate, in latere erant verba hæc, AEQVITAS AVGVSTI. S. C. ibi efficta erat mulier habens in altera manuum geminas lances ſeu libram, in altera Cornucopiæ geſtans, in tertio ejuſdem Cæſaris ſigno, quod poſterior pars oſtentabat, erat hominis imago, quæ videbatur neſcio quid jactare ſeu jaculari, ibique canis ſpecie currentis fuit, cum his literis, VIVE FAELIX. quæ quidem omnia ſatis pulchra, moverunt me, ut impræſentia aliqua hîc deſcriberem, quæ Julius Capitolinus in vitis Gordianorum memoriæ mandavit. Gordianus igitur ſenior natus eſt ex patre Metio Marullo, matre Ulbia Gordiana: originem paternam ex Gracchorum genere habuit, maternam ex Trajani Imperatoris patre, avo, proavo Conſſ. ſocero,

proſocero, & item alio proſocero, & duobus obſoceris Conſſ. ipſe Conſul ditiſſimus ac potentiſſimus Romæ Pompejanam domum poſſidens in provinciis tantum terrarum habens, quantum nemo privatus, ipſe ex conſulatu, quem egerat cum Alexandro, ad proconſulatum Africæ miſſus eſt, ex S. C. adoleſcens cùm eſſet Gordianus hic poëmata ſcripſit, quæ ſuo tempore extare refert Capitolinus, & cuncta illa, quæ Cicero ex Demetrio, & *Aratum* & *Alcyonas*, & *Uxorium*, & *Nilum*, quæ quidem ad hoc ſcripſit, ut Ciceronis poëmata nimis antiqua viderentur: ſcripſit etiam *Antoniniados*, hoc eſt, Antoninum Pium, & Antoninum Marcum verſibus diſertiſſimis, libris triginta vitam illorum, & bella, & publicè, privatímque geſta perſcribens: adoleſcentulus etiam controverſias declamavit in Athenæo: audientibus etiam Impp. ſuis, ſcripſit etiam laudes Antoninorum ſoluta oratione, eorum autem qui ante eum fuêre, tantum autem Antoninos dilexit, ut ſibi quoque Antonini nomen aſcripſerit, etiam filium eodem nomine illuſtravit, proconſul Africæ deſtinatus fuit cùm annum ageret circiter octogeſimum, ſed ante multarum provinciarum rector fuerat, atque in maximis ſpectatus negotiis, ut ſcribit Herodianus author Græcus: ideo virum nobilem, magnanimum, diſertum, juſtum, continentem, bonum Gordianum, in quadam epiſtola ad ſenatum Romanum ſcripta, Alexander Severus appellat: quinetiam alii Scipionem, alii Catonem, multi Mutium, ac Rutilium, aut Lælium ſua tempeſtate nuncupare ſunt ſoliti: fuit autem Gordianus ſenior longitudine quidem Romana, canicie decora, & pompali vultu: ruber magis, quàm candidus, facie bene lata, oculis, ore, fronte verendus. Corporis qualitate ſubcraſſulus, moribus ita moderatus, ut nihil poſſis dicere, quod ille aut cupidè, aut immodeſtè, aut nimiè faceret: affectus ſuos unicè dilexit, filium, & nepotem ultra morem, filiam, & neptem religioſè, Socero ſuo Annio Severo tantum detulit, ut in familia ejus quaſi filium migraſſe ſe crederet, ut nunquàm cum eo laverit, nuncquàm illo præſente ſederit, ante præturam conſul cùm eſſet, aut in domo ejus ſemper manſit, aut ſi in Pompejana domo ad illum vel manè, vel ſero proceſſit: vini parcus, cibi parciſſimus, veſtitu nitidus, lavandi cupidus, ita ut iiij. & v. in die lavaret æſtate, in hyeme ſecundo: ſomni plurimi, ita ut in tricliniis, ſi fortè

apud

Digitized by Google

apud amicos ederet, etiam ſine pudore dormiret: quod videbatur facere per naturam non per ebrietatem, atque luxuriam. Vulcatius Terentianus, qui ſui temporis ſcripſit hiſtoriam, refert Gordianum Seniorem Auguſti vultum ſic repræſentaſſe, ut & vocem, & morem, & ſtaturam ejuſdem oſtentare videretur. Filium verò Pompeio ſimillimum viſum, quamvis Pompejus obeſi corporis fuiſſe denegatur. Nepotem autem ejus imagines Scipionis Aſiatici retuliſſe. Gordianum autem cum filio Auguſtos Senatus appellavit, ut ex S. C. apparet à Julio Capitolino relato: ubi acclamatio ejuſdem Senatus in hæc verba, *Gordiane Auguſte Dii te ſervent feliciter. Imperatores, cum filio imperes, Gordiani Auguſti Dii vos ſervent, ambo feliciter agatis, ambo feliciter imperetis, Nepoti Gordiani præturam decernimus. Nepoti Gordiani conſulatum ſpondemus. Nepos Gordiani Cæſar appelletur. Tertius Gordianus præturam accipiat.* Auguſtos eoſdem Gordianos vocatos, idem dicit Capitolinus in *Maximo* & *Balbino*. Sed boni mores Gordiano nihil profuerunt, nihil etiam benevolentia Senatus P. Q. Romani, quæ eum extulit, propterea quòd furorem & impetum Maximini amplius reſpublica ſuſtinere non poſſet: & quamvis vita venerabilis cum Platone ſemper, cum Ariſtotele, cum Tullio, cum Virgilio, cæteríſque veteribus ageret: alium tamen, quàm merebatur, exitum paſſus eſt. Nam eum laqueo vitam finiviſſe ferunt, acri dolore percitum, ne in manus hoſtium, & vincula incideret, cùm modicas vires ſuas, Maximini autem magnas, & Punicam Afrorum fidem conſideraret. Hunc poſt mortem cum filio ſenatus inter divos retulit: &, ut dicit idem Capitolinus in *Maximo* & *Balbino*, prima relatio fuit principum, ut duo Gordiani divi appellarentur, aliqui unum appellatum, ſeniorem videlicet putant. Sed ego in libris quos Junius Cordus affatim ſcripſit, legiſſe memini, ambos in deos relatos: ſiquidem ſenior laqueo vitam finivit, junior autem in bello conſumptus eſt. Qui utique meretur majorem reverentiam quòd eum bella rapuêre. Imperavit verò anno uno menſibus ſex cum filio. Sed ut & aliquid Junioris Gordiani referatur, hìc Gordiani ſenis proconſulis Africæ filius, qui cum patre, & ab Afris, & à Senatu Auguſtus appellatus eſt, literis, & moribus clarus fuit, præter nobilitatem, quam, ut nonnulli, ab Antoninis (ut plurimi, ab Antoniis) duxit. Natus patri pri-

Digitized by Google

mus ex Fabia Oreſtilla Antonii pronepote: unde Cæſarum familiam contingere videbatur. Primis diebus ſui natalis appellatus eſt *Antoninus*, mox *Gordianus* haberi cœptus, in ſtudiis graviſſimæ opinionis fuit: forma conſpicuus, memoriæ ſingularis fuit, bonitatis inſignis, adeò ut ſemper in ſcholis, ſi quis puerorum verberaretur, ille lachrymas continere non poſſet. Sereno Sammonico, qui patri ejus amiciſſimus, ſibi autem præceptor fuit, nimis acceptus, & carus uſque adeò, ut omnes libros Sereni Sammonici patris ſui, qui cenſebantur ad XL. & duo millia, Gordiano minori moriens ille relinqueret, quod eum ad cœlum tulit: ſiquidem tantæ bibliothecæ copia, & ſplendore donatus in famam hominum literatorum decore pervenit. Quæſturam Heliogabalo authore promeruit, Præturam Alexandro authore urbanam tenuit: in qua adeò ſe bene geſſit, ut nulla mora ad conſulatum pervenerit, quem ſerò pater acceperat: fuit vini cupidior, ſemper tamen undecunque conditi nunc roſæ, nunc maſtichæ, nunc abſynthii, cæteriſque rebus, quibus gula maximè delectaretur, cibi parcus. Mulierum cupidiſſimus fuit adeò, ut xxij. concubinas habuiſſe fertur, appellatuſque eſt ſui temporis Priamus, quem vulgò jocantes, quod eſſet naturæ propenſioris in Venerem, *Priapum* non *Priamum* ſæpe vocitarent: vixit in delitiis, in hortis, in balneis, in amœniſſimis nemoribus: veſtitu cultiſſimus fuit, ſervis, & omnibus ſuis carus. Quin & ſenex pater Virgiliana carmina, quæ in *Æneidos* vj. ſunt, cum mortem filii auguraretur ſæpe recitaſſe perhibetur:

Oſtendent terris hunc tantùm fata, neque ultra
Eſſe ſinent, nimium vobis Romana propago
Viſa potens, ſuperi, propria hæc ſi dona fuiſſent.

Hujus Gordiani Junioris extant, & ſoluta oratione, & verſibus ſcripta, quæ ab ejus affinibus ſolebant frequentari, hominem ingenioſum præ ſe ferentia, ſed luxuriantia, ſuúmque ingenium diſcernentia. Pomorum & olerum avidiſſimus, fuit in reliquo genere ciborum parciſſimus: erat & corporis vaſti, quare ad frigida magis vergebatur: & hæc quidem in junioris Gordiani mores, & vitam ex Julio Capitolino, quam in compendium redigere volui, ne & librum conſcriberem dum numiſma interpretamur, & ne omnia, quæ legi apud eundem Capitolinum poſſunt, viderer velle exſcribere: nec

nec quiſquam ideo vituperet hunc laborem noſtrum, ſi omnia, quæ hîc dixi, ex Julio Capitolino volui deſumere, cum ſi eadem voluiſſem ſcribere, mehercle meis verbis potuiſſem, & facillimum mihi id fuiſſet, cùm & ab Herodiano Græco hiſtorico potuiſſem transferre. Sed cùm Latinè eſſet explicandum, quanto melius fuit redigere in ſummulam hæc omnia pertinentia ad horum Gordianorum mores, genus, vitam, & hujuſmodi reliqua, quæ copioſè & prolixiuſculè enarrat Capitolinus, quàm novas voces, nova orationis vocabula, & dicendi inuſitatam rationem finxiſſe, quæ omnia fugienda ſunt, ab his præcipuè, qui hiſtoriam regum, Cæſarum, & magnorum virorum mores, & vitam enarrant: boni igitur æquíque conſulant has noſtras lucubrationes ſtudioſi, & verè literarum amatores, qui ut tantummodò bonas literas edificant, laborant: non ut aſſidui fiant, non ut lucro hiantes, ſcientiam venundant. Quod ſpectat ad æquitatem nummo inſculptam, & Cornucopiæ, omnia per ſe patent: æquitatem verò deam coluerunt Romani illíque ſacra fecerunt, æquitas autem eſt blandior ac placidior Juſtitia, quam habere ante oculos judicem ſemper jura præcipiunt, æquitas etiam in jure civili maximè ſpectatur, & ex bono & æquo ſæpe judices ſententias proferunt. Publicam æquitatem ſic fictam vidi, erant tres mulieres mitratæ, & palliatæ, media ſpectabat dextram, & à læva ſpectabatur; omnes læva copiæ cornu, dextra libram habentes, ante pedes acervum: privatam æquitatem ſic effictam vidi, erat mitrata palliatáque, ſtans, libram dextra tenens, haſtam læva. De fœlicitate autem Auguſti, quam notæ ſignatæ præ ſe ferunt in S. C. apud Capitolinum fit mentio, & nos in numiſmate quodam de ea diximus, hæc ideò ſufficiant. Nudi autem hominis ſtantis, & clavæ innitentis, procul dubio Herculis imago fuit, quæ in clarorum virorum triumphis, & ad honorem ſic effingi conſuevit, quod Hercules heros virtutum præclariſſimus, ac præſtantiſſimus fuerit, & inter deos relatus, viámque arduam, quæ ad virtutem tendit, primus præmonſtraverit, ut eſt apud Xenophontem, quod & Cicero in libro primo *Officiorum* refert.

In nummo argenteo, quem paulò antè quàm hæc ſcriberem cudi fecit OCTAVIVS FARNESIVS, princeps Romanæ juventutis optimus, mox excellentiſſimus Dux, imago inſignis fuit ipſius Du-

cis, in primo orbe cum hac inſcriptione, OCTAVIVS FAR. PAR. E. PLA. DVX. II. in tergo autem nummi fuit ſignum Herculis, cum clava in manu, & Leonis pelle accincti, his Græcis notis:

ΡΗΙΔΙΗ ΔΗΠΕΙΤΑ ΠΕΛΕΙ ΧΑΛΕΠΗΠΕΡ ΕΟΤΣΑ.

hoc eſt, *facilis autem poſteà eſt, difficilis quamvis exiſtens.* verſiculus eſt enim Heſiodi poëtæ in lib. Ἔργα καὶ ἡμέραι id eſt *opera, & dies.* cujus verſiculi ſententiam Cicero libro vj. *epiſtol.* ſcribens Leptæ, admonet ejus filium ſuaviſſimum (licet maturitas ætatis abſit) ut ediſcat, & habeat in ore. Extat & in Petri Coſtalii Pegmatum nuper impreſſo libello, epigramma cum enarrationibus in Herculem adhuc juvenem, quod Juventus virtuti initianda eſt, ſic,

Dum vitam primùm ingreditur Tyrinthius heros,
Valde animi pendens conſtitit in bivio,
Hic via ſe partes coràm ſindebat in ambas,
Quæ dubii excruciant fortia corda ducis:
Vna voluptatis longo latiſſima calle.
Altera virtutis margine clauſa brevi.
Sed pius Alcides, nulli virtute ſecundus,
Arctum virtutis ſe dedit in gremium.
Scilicet hæc iſta eſt ineuntis ſemita vitæ:
Nam virtus hominem ſola beare poteſt.

Cornucopiæ autem ſignum ex pace ubertatem naſci procul dubio oſtendit ex Amalthea capra: quod & M. Antonius Flaminius in elegantiſſimo, ac perculto epigrammate, hoc pacto ad Alexandrum Farneſium Cardinalem ampliſſimum ſcriptum teſtatur:

Ecce venit properans pleno latiſſima cornu
Copia, quam ſequitur dulcis, & alma quies.
Illa timere famen diram vetat, altera mandat
Vt Phœbo, & Muſis otia digna colam.

Quod autem ad effigiem canis currentis ſpectat, & hominis ſpiculum jacientis, non multum abeſt ab iis, quæ in Poſtumæ nummo exaravi: ideò hoc loco, non amplius eſt opus quod repetam, cùm reliqua à me expoſita numiſmata brevi in lucem ſim miſſurus: ideo hic etiam numiſma hujuſmodi ut poneretur nunc curavi.

GOR-

Digitized by Google

OTECA NAZIONALE
ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

GORDIANI SECVRITAS.

IN numiſmate æreo Gordiani Junioris, quod mihi dono dedit Bernardus Chriſtianus, Papienſis, erant verba hujuſmodi in altera parte IMP. GORDIANVS PIVS FEL. AVG. in altera parte erat imago mulieris ſtolatæ ſtantis, in altera manu haſtam tenentis, altera cubito columellæ innitentis cum hac inſcriptione, SECVRITAS PERPETVA. S. C. In Neronis, Othonis, & Titi numiſmatibus, duobus æreis ſcilicet Neronis & Titi, Othonis autem aureo hæc fuit inſcriptio, SECVRITAS AVG. S. C. II. & hæc quidem in Neronis, cujus fuit hæc imago, Mulier ſedens cum arula, & face ante arulam, cubito ſolo innitens, altera manu haſtam tenens. In Othonis aureo numiſmate, ubi inſcriptio SECVRITAS P. R. fuit, erat imago mulieris ſtantis cum corona in altera manu, & quæ in altera haſtam tenebat. In Titi æreo numiſmate, ubi fuit inſcriptio, SECVRITAS P. R. S. C. erat imago mulieris ſedentis, cum arula ſeu foculo ſertis redimito, quæ innitebatur cubito ſolio, & in altera manu haſtam geſtabat, & hæc quidem numiſmata horum Cæſarum ità fuerunt efficta. Quid autem ſibi vellet hæc ſecuritas totiens in his numiſmatibus repetita, ſæpe & diu anxius fui, & à me diligenter quæſitum fuit, donec tandem memini me apud Ulpianum Juriſconſultum lib. *Pandectôn* xlviij. titulo, *ad legem Majeſtatis*, quid tale de Securitate legiſſe, itaque ea verba, quæ ibi ponuntur, hic ſubſcribere volui, ut ſi quid ad hanc rem fecerit, me non fruſtra hunc laborem ſuſcepiſſe pœniteat, & quicquid ſit, utile tamen lectori futurum. Scribit Ulpianus igitur hunc in modum, *Majeſtatis crimen eſt illud, quod adverſus P. R. vel adverſus ſecuritatem ejus committitur, quo tenetur is, cujus opera dolo malo conſilium initum erit, quo obſides iniuſſu principis interciderint: quo armati homines cum telis, lapidibúſve in urbe ſint, conveniántque adverſus rempublicam, loca occupent, vel templa*, & reliqua, quæ ſequuntur ibi. Sed & in Codice Juſtiniani lib. ix. titulo *de Nili aggeribus non rumpendis*, fit mentio de Securitate, nam Imperatores Honorius & Theodoſius A A. ità ſcribunt Athemio: *Si quis poſthac per Ægyptum intra xij. cubitum fluminis Nili valla fluentis de propriis ac vetuſtis uſibus præter fas prætérque morem antiqui-*

tiquitatis uſurpaverit: flammis eo loco conſumatur, in qua vetuſtatis reverentiam, & propemodum ipſius imperii ſecuritatem appetierit. Videant igitur legulei & togati vultures, qui regnare ſolent in foro, num & leges veterum Juriſconſultorum ſolum ad eos ſpectent, an etiam ad antiquitatem excutiendam belliſſimè faciant, cùm & ex eorum Latinis dictionibus, & ſæpè una vocula res tota declaretur, & intelligatur: & ſi ex ignoratione hujus verbi Accurſius lapſus ſit, ut illa tamen ætate, in qua vixit, venia dignus exiſtimari poſſit à doctioribus. Sed hîc ex auctoribus antiquis de ſecuritate aliquos locos recolamus. Et de hac in primis Cato ad Ciceronem in epiſtolis famil. ſic meminit, *Valde & nos dilige, & inſtituto itinere, ſecuritatem diligentiámque ſociis & Reipublicæ præſta.* Seneca lib. x. *epiſtolarum, Hi* (inquit) *quibus ad propoſitum bene vivendi aditum confert ſecuritas publica, neceſſe eſt authorem hujus boni, ut parentem colant.* Suetonius in *Julio Cæſare* ità meminit, *Ad ſecuritatem ergo poſteri temporis in magno negotio, habuit obligare ſemper annuos magiſtratus & è competitoribus non alios adiuvare, aut ad honorem pati pervenire, quàm qui ſibi pepigiſſent, propugnaturos abſentiam ſuam, cujus pacti non dubitavit à quibuſdam jusjurandum atque etiam Syngrapham exigere.* Idem Suetonius in *Auguſto, urbem adeo excoluit, ut jure ſit gloriatus marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet: tutam verò quantum provideri humana ratione potuit, etiam in poſterum præſtitit.* De ſecuritate verò Neronis, Juvenalis in octava Satyra hunc in modum meminit,

Maturus bello Armeniæ Syriæque tuendis
Amnibus & Rheno atque Iſtro præſtare Neronem
Securum valet hæc ætas.

Julius Capitolinus in *M. Antonino Philoſopho* inquit, *ſed interpellavit iſtam felicitatem ſecuritatémque imperatoris prima Tyberis inundatio:* idem autor in *Antonino Pio: Et qui ritè comparetur Numæ, cujus felicitatem, pietatémque, & ſecuritatem, cæremoniaſque ſemper obtinuit.* Trebellius Pollio in *Claudio: Hoc totum ad Claudii gloriam pertinet. Claudius & ſecuritate Rempublicam, & opulentiæ nimietate donavit:* & paulò pòſt: *Vbique auſpiciis Claudianis victi ſunt Gotthi prorſus, ut jam tunc Conſtantio Cæſari nepoti futuro videatur Claudius ſecuram parare Rempublicam.* Sed hoc

loco

loco non erit incongruum ſi & memoriam vetuſti marmoris Romæ repertam appoſuerimus ad hanc rem de ſecuritate facientem, quam mihi dono dedit, amicitia ſtudiorum Patavii mihi conjunctiſſimus factus in utraque lingua optimè verſatus VINCENTIVS CATVS, Vicetinus adoleſcens bene literatus & candidiſſimis moribus ornatus, quem ob eximiam quandam ac propè divinam ejus indolem hîc libenter commemoro, cùm mihi ejus familiaritas, cùm de præſtantibus literarum ſtudiis loqueremur, nunquam tædio fuerit, imò ſuavitatem maximam uterque noſtrum in loquendo ac ratiocinando caperemus. Sed jam præſtat hîc veterem memoriam ſcribere,

SECVRITATI COGNATIONIS SVAE FORTVNATVS AVG. L. VERIVS PATERNVS AB EPISTOLIS ACCENSVS PATRON. DIVO AVG. VESPASIANO LICTOR. AVG. VIA. ✝ HONOR. * DEC. COS. ET PR. SIBI ET EPAPHRODITO AVG. L. AB EPISTOLIS FRI SVO.

In breviario Theodoſii Imperatoris ſub diſpoſitione comitis rerum privatarum domus divinæ, mentio eſt officii, quod ſpectat ad eum comitem, quod primi ſcrinium ſecuritatum vocatur. Securitatem autem hanc Græci ἄδειαν vocant, & ἀμεριμνίαν, atque etiam ἀσφάλειαν. Cicero *de Finibus Bonorum & malorum* εὐθυμίαν Democriti *ſecuritatem* appellat his verbis, *Democriti autem ſecuritas, quæ eſt animi tanquàm tranquillitas, quam appellat euthymiam, eò ſeparanda fuit ab hac diſputatione, quia iſta animi tranquillitas eſt, ea ipſa beata vita.* Securitas curæ & anxietati opponitur: *ſecurus* ſeorſum à curis eſt, ἀμερίμνως ἔχων. qui ſcilicet vacat perturbationibus animi: hoc eſt εὐθύμως ἔχων καὶ ἀπαθῶς, qualis eſt illa Democriti, ſed ſecuritas Reipublicæ eſt ἀσφάλεια, cùm ſcilicet ſtatus Reipublicæ ità compoſitus eſt, ut nulla ex parte periculum imminere videatur, nec ſit metus belli externi aut inteſtini, & ità his numiſmatibus accipi debere puto, & quemadmodum accepit Vlpianus in dicta lege. Sed jam videamus hoc Hieroglyphicum ſecuritatis, & apud Aegyptios, quorum mos fuit per ſigna animantium diverſorum res ipſas oſtendere: & Orus Apollo lib. quidem ij. *Hieroglyphicôn* ſcribit hoc pacto, Ægyptios ſecuritatem ſignificaſſe, ut os coturnicis pingerent. Nam hujus animalis os, non temerè patitur: per Anthiam piſcem illud etiam oſtendebant Ae-


T gyp-

Digitized by Google

gyptii, ut ſcilicet ſecuritas à periculorum omnium timore libera proponeretur. Nam, ut refert Ariſtoteles lib. ix. cap. xxxvij. *de Hiſtoria animalium*, quo loco ſit Anthias nullam ibi belluam eſſe confeſſum eſt, quo jam indicio ſecurè ſpongiatores urinantur, & ſacrum hunc piſcem ob eam rem nominant. Sed id caſu ſic evenire dixerim, quomodo & ubi ſit limax neque ſus eſt, neque perdix, omnes enim limaces ab his eduntur. Quomodo autem Anthias hic piſcis capiatur oſtendit Plinius lib. *hiſtoriæ natural.* ix. cap. LIX. ἀνθίας dicitur à Græcis ἱερὸς ἰχθὺς, dicitur & καλλίχθυς, id eſt *pulcher piſcis* & καλλιώνυμος, id eſt *pulchri nominis*. Hujus autem piſcis quatuor ſpecies ponit cum ipſis imaginibus Gulielmus Rondelettius lib. vj. *de piſcibus marinis*, cap. xj. & xij. & xiij. & xiiij. quibus locis de hoc piſce diſputat nonnulla: & authorum locos reſtituit. Sed jam huic de ſecuritate capiti finem imponamus, numiſmata quorundam prius imperatorum referentes, in quibus ſculpta erat ſecuritas. In nummo Neronis dea eſt ſella ſedens dextera manu ad aurem appreſſa, ſiniſtra trophæum in virgula tenens, crure ſiniſtro, quàm longum eſt exporrecto, cujus inſcriptio eſt, SECVRITAS. In altero ejuſdem Neronis Dea ſedens, ara ante poſita, radium læva tenet, dextera caput ab occipitio ſuſtentat, inſcriptio verò nummi SECVRITAS. In nummo vero M. Jul. Philippi Aug. dea ſedet, dextraque ſagittam tenet, lævam ſupra caput tollit innixam ſellæ: inſcriptio SECVRIT. ORBIS. In nummo Antonini Pij. Aug. Brit. Dea ſedens cum radio in læva, dextra capiti & ſellæ innititur: inſcriptio SECVRITATI PERPETVAE. In nummo Lucillæ Auguſtæ nutrix eſt ſedens, tribus infantibus appoſitis, quorum unus lactens in gremio eſt, duo ante pedes unà colludunt, inſcriptio SECVRITAS. In nummo circa quem literæ ſunt IMP. M. OTHO CAESAR. AVG. TR. P. à læva dea ſtans, quæ læva ſcipionem tenet, dextera aquilam, literæ, SECVRITAS P. R. In aliquibus nummis eſt videre columnam ad ſecuritatem additam, ut eſt in eo quem IMP. CAES. VAL. HOS. MES. QVINTVS AVGVSTVS cuſit: ibi enim muliebre ſignum molli & enervato habitu ſtans, læva columellæ innititur, dextera palmæ ſurculum tenet ſupra verticem exporrectum, inſcriptio, SECVRITAS AVG.

NAZIONALE
ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

AVG. Quæ quidem ſpecies cùm fortè antiquitus fieri ſoleret, (ut ait Pierius Valeria. lib. *Hieroglyphicôn* xlix.) facile credendum *purpureos tyrannos* hinc ab Horatio dictos. Metuere fortunam ſtantem columnam, injurioſo ne pede proruat, atque ità ſublimi dejiciantur loco: ex hac imagine firmitatem ſecuritatis, & ſecuritatem ex columna & palma firmam, facilè quis in ædibus ſuis pingi curaverit, qui hoc aliquo hieroglyphico oſtentare voluerit. Securitatem in alio nummo veteri ſic effictam vidi: erat taurus ſtans ſupra humeros ſtellam, & intra cornua habens, ante ſe gallinam alas explicantem cum hac inſcriptione, SECVRITAS REIPVBLICAE. alio etiam modo vidi ſecuritatem ſignatam ſic (prout Franciſcus à Villa Medicus inſignis Placentinus mihi oſtendit) ſedens erat pallio cadenti, mitrata, læva occiput tangens, dextra ſceptrum fultum ventri tenens, ante ſe aram ardentem, & facem habens. Et hæc de ſecuritate ſatis, quam præpotens Deus urbi Placentinæ, & noſtro Duci Farneſio OCTAVIO perpetuam præſtare dignetur. In aureis quibuſdam nummis, quos Octavius Farneſius dux noſter cudi fecit, ineſt ſecuritas, mulier ſedens liliolo in caput imminente haſtamque lilii manu cum arula, ſeu foculo ante ſe habens, his notis (A) SECVRITAS. P. PARMAE. 1553. in alia parte eſt inſigne ipſius ducis, nempe claves illæ pontificiæ unà cum tentoriolo & ſex liliis hincinde expreſſis: corona totius clypei apicem obtinente, hac inſcriptione, OCT. F. PARM. ET PLAC. DVX. II.

JVLIAE MAMMEAE AVG. FELICITAS PVBLICA.

VIDIMVS Patavii apud Alexandrum Baſſianum antiquarium, amicum noſtrum, & ipſi in numiſmatibus antiquis, Felicitatis effigiem, & præcipuè in Juliæ Mammeæ Aug. in cujus tergo fœmina erat in ſolio ſedens, dextera caduceum, ſiniſtra grande cornucopiæ tenens, cum hac inſcriptione, FELICITAS PVBLICA. de hac meminit Plinius lib. xxxv. *Natural. hiſto.* cap. xij. his verbis, cùm de Archeſilao præſtantiſſimo ſtatuario loquitur: *deinde eidem à Lucullo H. S. LX. ſignum fœlicitatis locatum,*

tum, cui mors utriuſque inviderit: meminit & Divus Auguſtinus lib. *de Civitate Dei: L. Licinius Lucullus anno ab V. C. DCLVI. Coſ. cum L. Cotta conſtrui curavit eidem Fœlicitati ædem:* refert Marlianus lib. *Topographiæ* 4. Fœlicitatis templum in exquiliis fuiſſe: idque poſtea à Nerone domum auream extruere parante, combuſtum: quòd fœlicitas ſedeat in ſolio, magna fuit populi Romani in Auguſto fiducia, ut ſe ſub eo principe nimium fœlicem exiſtimaverit, cùm per Valerium Meſſalam eodem mandante populo, *Bonum,* inquit, *fauſtúmque ſit tibi, domuique tuæ Cæſar Auguſte, ſic enim nos perpetuam fælicitatem Reipublicæ, & læta huic precari exiſtimamus, Senatus te conſentiens cum Populo Romano, conſalutat patriæ Patrem.* Cui lachrimans reſpondit Auguſtus his verbis, *Compos factus votorum meorum, Patres conſcripti, quid habeo aliud Deos immortales precari, quàm ut hunc conſenſum veſtrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat.* Hæc Suetonius in *Auguſto.* Quid caduceus in dextra, quid in ſiniſtra Cornucopiæ deſignent, alibi explicavimus: nempe in expoſitione ſepulchri marmorei clariſſimi Andreæ Alciati, quam brevi in lucem dabimus, cùm jam ſit ad finem penè perducta.

M. VALERII ACILII III. VIRI VIRTVS.

IN M. Valerii Acilii iij. VIRI pervetuſto numiſmate hæc fuit forma virtutis expreſſa, Mulier erat columnæ lævo innixa cubito, dextera ſerpentem tenebat; clarum eſt per ſerpentem immortalitatem intelligi, ex hieroglyphicis, ut virtute duce eam comparemus, & per ſerpentem veteres ſæpe ſapientiam intelligunt: vide Alciatum in emblemate *Neptuni Tubicen;* & ut Mercurius cubo inſidet, ſic virtus columnæ innititur, hoc eſt, fortitudini, propter Herculem, ut puto, ſic per ſerpentem, quia Hercules adhuc infans in cunis geminos angues eliſerit: ſerpentis imagine Genius interdum effingebatur. Perſius, *Pinge duos angues.* Author eſt Plinius lib. xxxv. cap. x. Ædem virtutis à Cornelio Pino, & Actio Priſco (Veſpaſiano Auguſto reſtituente) pictam fuiſſe: ad portam fuerat extru-

Digitized by Google



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA

Digitized by Google

extructa quaſi monitos eſſe vellent ad bella proficiſcentes, niſi per virtutem aditum ad honorem, & gloriam, non patere. Auguſtinus in lib. *de civitate Dei*, ait, *Neminem Honoris ædem potuiſſe ingredi, ni prius virtutis eſſet ingreſſus.* De æde honoris & virtutis vide Valerium Max. lib. 2. cap. j. ædem virtutis & honoris dicavit apud portam Capenam, M. Marcellus: meminit Cicero libro *de Natura Deorum*, & libro 2. *de legibus*, Vitruvius lib. *Architecturæ* vij. cap. 1. & Plutarchus *de fortuna Romanorum*, & Livius lib. 97. meminerunt.


L. AVREL. COMMODI ROMA.

IN quodam argenteo Commodi Cæſaris numiſmate, quod mihi his diebus oſtendit Guidus Panzirollus juriſconſultus doctiſſimus, & elegantiſſimus, & non ſolùm in jure civili, ſed etiam in omnibus bonis literis, nempè his, quas humaniores vocamus optimè verſatus, nécnon in Romanis antiquitatibus mediocriter inſtructus, cùm Patavii apud ipſum ego, & nonnulli alii eſſemus, qui ſæpe ejus domum frequentare ſolemus, ut ex eo aliquid addiſcamus, hæc effigies fuit: in altero latere erat ipſius Commodi imago his literis, L. AVREL. COMMODVS AVG. in altero verò erat efficta Roma, temonem ſiniſtra, dextra autem cornucopiæ habens, his literis, TR. P. V. IMP. III. COS. II. P. P. interpretabamur tunc Vidus Panzirollus & ego illam mulierem ſedentem eſſe Romam, quæ temonem haberet, qui quidem (ut inquit ille) fortunam referat, & cornucopiæ abundantiam, ut ex pluribus exemplis authorum conſtat, ſignificari, & in hac quidem tota imagine reipublicæ Romanæ felicitatem depingi: non omittam, quòd mihi idem Panzirollus in antiquis rebus examinandis diligens ſcrutator narravit, ſe illud numiſma Commodi ad pondus cum denario Veneto, quem vulgò *Marcellum* vocant, contuliſſe, ſéque deprendiſſe eadem magnitudine, eodémque pondere fuiſſe, quo & denarius Venetus conſtabat, cui rei Budæus vir doctiſſimus in lib. *de Aſſe* calculum adjicit, idem aſſerens.

FRANCISCVS Luiſinus Utinenſis Juvenis doctiſſimus & mei amantiſſimus lib. 2. *parergôn* cap. 4. ſe quoddam numiſma vetuſtum vidiſſe refert, in quo fuerit expreſſa hominis ſaucii figura, qui ſe ipſe medicamento curaret, exponítque ille deſignare Naturam, quam rem ex Themiſtii verbis lib. 2. *Phyſicorum* Ariſtotelis comprobat. *Nam Ars*, ait Themiſtius, *extra opus poſita eſt. Natura verò intra eſt conſtituta. Homo igitur, qui ſe ipſe ſaucium curat, cui Naturam Ariſtoteles comparavit, intrinſecus, & à ſeipſo, ad finem, id eſt, ad bonam valetudinem excitatur:* & Ariſtotelis quidem verba ſunt lib. 2. *Phyſicorum* tex. 86. quæ hic non recenſeo, quia à quocunque poſſunt legi, & hoc anno, quo Phyſica audio ſub M. ANTONIO IENVA graviſſimo Philoſopho Patavino, à me ſtudioſè perlecta ſint, ac omni animi perpenſione penſiculata. Illud hìc, quod Luiſinus non attigit, adjungam ex Ægyptiorum hieroglyphicis, qui hominem ſibi ipſi medentem deſignare volentes Picam Lauri folium ore tenentem, ac Leonem ſimiam comedentem pingunt. Leo enim febricitans, ſi ſimiam comedat, ſanatur: pica autem cum ægrota eſt lauri folium in nidum immittit, & ita convaleſcit. Ideo ſuperioribus annis ego pingi curavi Leonem ſimiam devorantem, cum his verbis, SIBI IPSI SALVS. cùm etiam hujuſmodi quàmplura hieroglyphica per me excogitaſſem, quæ aliquando in libellum ſum conjecturus, verſiculis etiam totam rem declaraturis ſubſcriptis, ſed certè in expoſitione numiſmatis Luiſini (pace viri tanti à me dictum ſit) illud amplius deſideravi (ſicuti & in libris *parergôn* ejuſdem clariorem quarundam rerum expoſitionem) ut mihi cujuſnam eſſet is nummus, & notas poneret. Nam cùm res in hujuſmodi numiſmatibus explicatur, tota prout eſt hiſtoria meo judicio exſcribi debet, ne lectori alterius cupienti noſcere, illuſiſſe videamur, cùm antiqua lectione nimium oblectentur animi legentium: & ſi ad calculum, & μικρολογίαν juxta ſententiam Ariſtotelis lib. *Metaphyſic.* 2. res omnino perducenda non eſt, quod nonnullis etiam auditoribus moleſtum eſt, cùm ad minutiora quæque eum, qui doceat, deſcendere videant.

JVSTI-

Digitized by Google



Digitized by Google

JVSTINIANI CAES. AVGVSTI PAX.

Conſtantius Landus Comes Octavio Lando Comiti, Patruo magno S. P. D.

NVMISMA tuum argenteum paulò antè apud Montem Clarum, oppidum in Placentinis agris repertum, quod Fabritius filius tuus dulciſſimus hodie in hoc mane mihi nomine tuo obtulit, donoque dedit, verti ac reverti digitis mira quadam animi oblectatione, intendique oculorum omnem aciem, ut notas legerem, quæ circum orbem nummi ſunt, & quidem anteriores literæ, ubi imago adparet, Juſtiniani Cæſaris mihi effigiem præ ſe ferre videntur. Attamen ſubdubito aliquantulum, corroſa enim ſunt elementa poſteriora, hoc eſt, ea, quæ ſequuntur nomen, & quæ illud perficiunt in primo orbe; & id conjicio hac de cauſſa, propterea quod à tergo ſunt literæ quæ facilè legi poſſunt, cum oleagina corolla, quæ ſic à me leguntur, DN. ATHALARICVS REX. conſtat enim ex magni Aurelii Caſſiodori epiſtola, quæ eſt libro *Variarum* octavo prima, Athalaricum Juſtiniano Imperatori de pace ſcripſiſſe, quam contraxit ille cum Juſtiniano, ubi legere eſt illum Juſtiniano valde amicum fuiſſe, & in tenera ætate conſtitutum, imò videtur etiam proximum ſanguine fuiſſe ipſius Juſtiniani, hoc eſt, nepotem. Sed ut rem propius ac apertius cognoſcas, hîc verba nonnulla ejus, quæ ſunt in prædicta epiſtola Caſſiodori ſubjiciam: *Vos avum noſtrum in veſtra civitate celſis curulibus extuliſtis: vos genitorem meum in Italia Palmatæ claritate decoraſtis, deſiderio quoque concordiæ factus eſt per arma filius, quia nobis penè videbatur æquævus, hoc nomen adoleſcenti congruentius dabitis, qualia noſtris ſenioribus præſtitiſtis, in parentelæ locum noſtrum jam tranſire debet affectus. Nam ex filio veſtro genitus naturæ legibus vobis non habetur extraneus. Atque ideo pacem non longinquus, ſed proximus peto, quia tunc mihi dediſtis gratiam nepotis, quando meo parenti adoptionis gaudia præſtitiſtis. Introducamur & in veſtram mentem, qui adepti ſumus regiam hæreditatem. Illud eſt mihi ſupra dominatum, tantum ac*

talem

Digitized by Google

talem rectorem habere propitium. Primordia itaque noſtra ſolatia mereantur principis longævi habere: Pueritia tuitionem gratiæ conſequatur: & non in totum à parentibus deſtituimur, qui tali protectione fulcimur. Sit nobis regnum noſtrum vinculis gratiæ obligatum: plus in illa parte regnabitis, ubi omnia caritate jubetis, & hæc Caſſiodori in Athalarici nomine Juſtiniano Cæſari conſcripta. Ex quibus perſpicuè cognoſcitur illum nepotem fuiſſe Juſtiniani imperatoris, ex adoptato ipſius parente, illumque puerum tunc fuiſſe. Hinc ſuſpicor hanc imaginem potius fuiſſe Athalarici, quàm Juſtiniani, cùm ſit puerilis, nec quicquam ſimile habeat cum imagine Juſtiniani, quam multoties vidi. Notas autem ſic legi poſſe, ex his, quæ partim ſuperſunt corroſis, conjicio, IMP. JVSTINIANI NEPOS. à tergo autem (ut ſuprà dixi) DN. ATHALARICVS REX. Sed fortè aliquis damnabit hanc noſtram conjectionem, quia, cùm moris ſit, ut in veterum nummis in primo orbe, in quo imago imperatoris aut regis ponitur, nomen etiam eorumdem eo loco ponatur, in hoc aliter ſit: huic objectioni ſic reſponderi à nobis poſſe credo. Primùm enim ità in nummo ſcriptum eſt, & ità numiſma effictum fuit, ut poſterior pars in oleagineo circulo Athalarici nomen repræſentaret: quod ideo factum opinor propterea quòd anguſtus nummuli orbis eſſet. Nam perbreve fuit numiſma, & adeò parvulum, ut auricularis digiti non excederet unguiculum. Ideo in poſteriorem locum numiſmatis tranſlatæ ſunt notæ: his credo ſatisfactum objectioni: ſi quis aliter ſentiat, & meliores rationes afferat, herbam illi (ut eſt in proverbio) & ceſpitem cum gleba porrigam. Hujus autem regis Gotthorum plures extant epiſtolæ, apud Caſſiodorum lib. viij. & lib. ix. *variarum* ad plures conſcriptæ: de geſtis autem ipſius Athalarici, qui Amalaſunthæ fuit filius, Diaconus, Procopius, Ablavius, Suidas, Ottho Phriſingenſis, Sabellicus, Franciſcus Irenicus lib. vj. GERMANIAE exegeſeos, & nuper epiſcopus quidam Gotthus in lib. Gotthorum, Vandalorum, Oſtrogotthorum, Viſogotthorum, & Langobardorum Julio iij. P. M. dicatis meminerunt: quæ omnia brevitatis cauſſa omitto. Illam interim hoc loco inſcriptionem non præteriens, quam ſuperiore anno Ticini ex vetuſta tabella marmorea arripui, quæ adeuntibus por-

portam Templi divi Secundiani publicè ſe offert, hiſque verbis legitur; DN. ATALARICVS REX GLORIOSISSIMVS HAS SEDIS SPECTACVLI ANNO REGNI SVI TERTIO FIERI FELICITER PRECEPIT. ex his autem notis illud in marmore animadvertendum, Atalarici nomen abſque flatili litera eſſe ſcriptum, quod aliter in numiſmate cum aſpirata litera adparet. Memini autem me, cùm exciperem has notas, tunc videre in proximo pariete ejuſdem templi divi Secundiani, ſtatuam marmoream regis in ſolio ſedentis, cui puer miniſtrabat poculum dextra porrigens, in propinquo vas habens. Rex autem neſcio quid præ manibus habebat, quem regem, propter vicinitatem menſæ marmoreæ à nobis ſuprà demonſtratæ, ipſum Athalaricum fuiſſe exiſtimavimus: illæ verò ſedes, de quibus in inſcriptione fit mentio, quid ſignificent, illud opinamur, aut ibi Regem ipſum edidiſſe aliquod ſpectaculum, aut ibi ſedes ſuas habuiſſe & habitaſſe, ideò adhuc illam ſtatuam ſedentis regis ibi conſpici à prætereuntibus. Et hæc jam ſufficiant mi Patrue OCTAVI, quæ ſi omnino tibi non arriſerint, non in me omnem culpam, ſed & in vetuſtatem quoque rei, & in edax tempus conjicito, illius nobilis epigrammatis Auſonii poëtæ memor, cujus extant illa,

Truncatis convulſa jacent elementa figuris,
Omnia confuſis interiêre notis.
Miremur periiſſe homines, monimenta fatiſcunt,
Mors etiam ſaxis nominibuſque venit.

Sed hic libet illud addere, quod his diebus mihi ſcripſit ANNIBAL CARVS à ſecretis cardinalis Farneſii, Imaginem nempe, quæ in hoc nummo extat, omnino eſſe Juſtiniani imperatoris, quod etiam ex ejus ad me miſſo argenteo nummulo perſpicuum conſtitit. Sic igitur in orbe nummi eſt ſcribendum, IMP. IVSTINIANVS.

Digitized by Google

MACRINI CAES. AVGVSTI
A N N O N A.

IMP. C. M. OPEL. SEV. MACRINVS PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. PP.

IN nummo argenteo veteri fuère ſupraſcriptæ notæ cum imagine Macrini Imperatoris laurea corolla capitulum coronatum habentis in priori orbe. In poſteriori fuit mulier ſtans ſtolata, manu altera attollens aliquamtulum ipſam ſtolam cum cornucopiæ intra cubitum, altera manu haſtam caduceum præ ſe ferentem habens notis ſuprà poſitis in linea ſecunda.

Hic Macrinus, ut de eo nonnulla hoc loco ſubjiciam, regnavit poſt Antoninum Caracallum, fuit vir crudeliſſimus, qui vili genere, & humili loco natus, & libertinus fuerit Aurelio Victore auctore. Dictus à ſervis *Macellinus*, quòd Macelli jure ejus domus humano ſanguine cruentaretur. Jungebat enim viva corpora hominum mortuis, ut Mezentius Virgilianus. Ter præliatus, iniit bellum Parthicum, Armeniacum, & Arabicum ſicut fortiter, ita feliciter. Fuit Tribunus plebis, & Proconſul, Pontifexque optimus à Senatu appellatus, & Imperator à Senatu acceptus & inter Patritios allectus, qui antequàm imperium arriperet, Præfectus prætorio fuerit, & procurator privatæ rei & ſcriba pontificum, quos *Pontifices minores* vocavit Antiquitas, ut Julius Capitolinus in ejus vita narrat; fuit idem inverecundi oris, qui ſe nunc Severum, nunc Antoninum (cùm omnibus eſſet odio & hominibus & militibus) nuncupavit. Ideo SEV. in nummo legitur, hoc eſt *Severus*. Denique occiſus fuit truncato capite, una cum filio Diadumeno in ſuburbano Bithyniæ cùm in Antoninum Alegabalum exercitus inclinaſſet, & cùm imperaſſet annum unum & menſes duos quinquagenario major, ut refert Egnatius. In averſa nummi parte ſtans mulier ſtolata, quæ altera manu ſtolam ſuſtollit cornucopiæ intra cubitum habens, altera haſtam caduceum præ ſe ferentem tenens, deſignat fortè quòd Macrinus uberius dederit prætorianis militibus & legionariis ſtipendium & annonam. Illud hic inte-




Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Pag. 155.



Digitized by Google



Digitized by Google

NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google

interim non præteribo animadvertendum, quòd in numiſmate OPEL. per E literam legitur, cùm in omnibus impreſſis codicibus per jota ſcribatur *opilius:* ſic & *opilio* apud Virgilium (vel ut alii legunt *upilio*) ſcribitur: an recte, viderint Grammatici, quibus iſta adjudicare magis ſpectat.

TRAIANI NERVAE NVMISMA, QVO FORTITVDO FIGVRATVR ITA CARMINE ENVCLEATVM ATQVE EXPRESSVM A NOBIS.

Inſideat capiti generoſi clava leonis,
Trajani ut referunt eſſe Numiſma boni.
Clavæ ſigna monent vires has corporis eſſe,
Atque animo intrepidos indicat eſſe leo.
Sic opus eſt præſtare animo ſic corpore & illum,
Qui ducis invicti nomen habere velit.

NVMISMA C. POBLICII Q. F. IN QVO EST EXPRESSVM FORTITVDINIS SIGILLVM,

carmine ità redditum à nobis. Inſcriptio autem antiqua extat Placentiæ ante ædem Divi Sabini in fruſto lapidis cujuſdam incluſo columnæ, ut vix appareat, cum his verbis, quæ legi potuerunt, C. POBLICI. Ↄ LIB.

EPICON.

Poblicii nummus Caii, cui fertur ineſſe
Ficta hominis vaſti corporis effigies
Quæ teneat, fulvum ſuffocet quæque leonem,
Cui clava & pharetra ponitur ante pedes.
Nil aliud ſibi vult, quàm ſignum roboris eſſe,
Alcidæ & ſimilem viribus eſſe virum.
Namque refert Nemeæ Alcidem ſic ſtraſſe leonem,
Euripides, tragico dum canit ore Lycum.

Digitized by Google

CONSTANTII LANDI,

COMPLANI COMITIS

IN M. CASSII CACVRII, ET ATILIAE MANDVILLAE TVMVLVM EXPLICATIO.

ROMA

V F

M. CASSIVS M. F. OVF. CACVRIVS SIBI ET ATILIAE MANDVILLAE VXORI ET M. CASSIO BROCCHO FILIO ET L. CASSIO DONATO FILIO IN FR. P. XX. IN AGR. P. XX.

CASSIORVM olim Romæ familia fuit clariſſima ac nobiliſſima, inter quos C. Caſſius ille unus ex conjuratoribus, qui in Julium Cæſarem conſpiraverant, exſtitit: fuit & L. Caſſius, qui legem Caſſiam tulit, ut Populus Romanus per tabellam ſuffragium ferret, ut narrat Pædianus in oratione pro Cornelio, & in ſecunda in Verrem : fuit & Cajus Caſſius L. Filius Longinus Trib. plebis qui C. Mario C. Flacco Coſſ. plures leges tulit ad minuendam nobilitatis potentiam propter ſimultates, quæ in Rom. Republica quotidie naſcebantur. L. Caſſius, qui legem Caſſiam tulit de ſuffragiis per tabellam, fuit nobilis, ut ſuprà dixi, hunc ſcribit Cicero in *Bruto* multùm potuiſſe non eloquentia, ſed dicendo tamen, hominemque fuiſſe eum non liberalitate ut alii, ſed ipſa triſtitia & ſeveritate popularem: an autem hic M. Caſſius Cacurius, & M. Caſſius Brocchus, & L. Caſſius Donatus ex veteri Romana familia profluxerint, originemque ſuam traxerint dubium eſt: certè crediderim traxiſſe. Nam hoc Cacurii Manduillæque conjugum monumentum vetus eſt, quorum nomina adhuc in urbe Mediolanenſi non extincta eleganti in tumulo leguntur, qui in divi Mauritii templo, quod vulgò *Monaſterium majus* appellatur, à nobis deſcriptus fuit; eoque libentius, quod horum conju-

Digitized by Google

jugum fidei atque amoris ἱερογλυφικῶς perpetuum adſit teſtimonium (ut etiam vir in explicandis veterum monumentis doctiſſimus ac diligentiſſimus Andræas Alciatus in ſuis elogiis facundè interpretatus eſt) Nam, ut ait ille, quòd junxêre dextras, fidei argumentum eſt: quòd in manu pomum adſit, Amorem ſignificat, ut Ariſtophanis interpres ἐν νεφέλαις ſcribit: ſuſpenduntur enim Veneri hujuſmodi mala, ut Artemidorus Daldianus in libro *Onirocriticôn* author eſt. Nam & munere pomorum allici puellas Theocritus, Virgiliuſque teſtatum reliquerunt: qua ratione & Charites ita depinguntur, ut mala teneant, eaque invicem donent: hinc & proverbium μήλοις βάλλειν, chil. ij. centuria iiij. proverb. lxx. j. *pomis ferire*: hactenus Alciatus. Sed jam explicemus notas, in apice V. F. indicant quòd Cacurius vivens fecit, ſibique conſtruxit hanc memoriam, ſolebant enim veteres Romani aliquam ſibi, priuſquàm diem obirent ſuum, memoriam viventes conſtruere: aut hieroglyphicon perpetuum, ut aut fidem uxoriam, aut Amorem in liberos, aut charitatem in patriam, & ſimilia in exemplum poſteris relinquerent. Sic hic Placentiæ in æde divi Paulli eſt elegantiſſima columella perantiqua Leonibus geminis, duobuſque Satyris hinc inde expreſſis in pellibus, ut puto, hircinis involutis, baculiſque vitigineis præ manibus tenentibus: inſcriptio hæc ibi legitur:

V. F.
L. BETVTIVS L. F. VOT. TENAX. L. BETVTIO L. F. RVFO PATRI CINTVLLIAE L. F. MAXIMAE MATRI C. BETVTIO L. F. SALVIO PATRVO L. BETVTIO L. F. AVO.

Sic Salviæ & L. Iconii menſa. Sic A. Socconii Atticæ conjugum manus jungentium hieroglyphicon hic Placentiæ in porticu ante ædem divi Sabini fidem faciunt: in quibus omnibus illæ notæ leguntur, V. F. Sic & L. Furii Optatii Erarii memoria vetus indicat hic Placentiæ, quæ prope divi Hilarii templum in angulo cujuſdam domus eſt incluſa, quæ vel viatoribus pertranſeuntibus conſpicua apparet: quæ elogia ſuperiore anno deſcribi curavi, me pleraque alia excerpente veterum monumenta, Comi, & Romæ, nec non Mediolani, & aliis quamplurimis in locis eadem

V 3

dem ipſæ notæ in ſpectationibus antiquis leguntur. Quòd autem dixi ſuprà hos conjuges junctas ſimul manus habuiſſe in ſignum fidei, id & in antiquo monumento Luconis & Bellienæ conjugum adparet, & à nobis in numiſmate Auli Vitellii copioſè declaratum extat. Quòd autem pomum adſit in manu (ut dixi ſuprà) idque amorem ſignificet, ſat pro comperto habetur : id & indicat elegantiſſimum Platonis carmen lib. vij. Græcorum epigrammatum, quod Latinè vertit Laërtii interpres. Sed hic Græcum carmen prius ſubjiciamus, deinde Latinum :

> Τῷ μήλῳ βάλλω σε, σὺ δ' εἰ μὲν ἑκοῦσα φιλεῖς με
> Δεξαμένη τῆς σῆς παρθενίης μετάδος.
> Εἰ δ' ἄρ', ὃ μὴ γένοιτο, νοεῖς, τοῦτ' αὐτὸ λαβοῦσα,
> Σκέψαι τὴν ὥραν ὡς ὀλιγοχρόνιος.

Latinum autem ità reddidit Laërtii interpres in vita Platonis:

> *Malo ego te ferio, cape, ſi ſum gratus amator,*
> *Et me participem virginitatis habe.*
> *Sin fieri dubitas hoc ipſum, mente revolve*
> *Suſcipiens formæ quàm breve tempus ineſt.*

Bentinus ſic vertit:

> *Malo ego te ferio, tu ſi me diligis, illud*
> *Suſcipe, me imperti & virginitate tua.*
> *Hoc fieri ſi poſſe negas, hoc ſuſcipe malum, &*
> *Quàm pereat parvo tempore forma vide.*

Eſt & aliud diſtichon φιλοδήμου, hoc modo:

> Μῆλον ἐγώ· βάλλει με φιλῶν σέ τις· ἀλλ' ἐπίνευσον
> Ξανθίππη· κἀγὼ καὶ σὺ μαραινόμεθα.

Ita vertit Laërtii interpres:

> *Malum ego, me mittit, qui te ſuccenditur unus.*
> *Annue Xanthippe, linquit utrunque decor.*

Theocritus poëta in *Bucolicis* ità cecinit:

> Βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα
> Τὰς αἶγας παρελῶντα καὶ ἁδύ τι ποππυλιάζει.

id eſt,

> *Appetitur malis caprarius Acleariſtæ*
> *Propellens capras, & ſuave quid occinit illa.*

Ad

Ad hos verſus ſic alluſit jucundè & lepidè Virgilius in *bucolicis:*

Malo me Galathea petit laſciva puella,
Et fugit ad ſalices & ſe cupit antè videri.

Quorum verſuum utriuſque poëtæ, & Græci & Latini meminit Gellius lib. *noc. Attic.* ix. cap. ix. ubi vertendi verba in Græcas ſententias modum docet: & Philoſtratus in *imaginibus*, ubi ἔρωτες, id eſt *amores* depingit. Quatuor eſſe amores deſcribit, duo qui ſe invicem malis petant, duo reliqui ſagittis, non iratis quidem vultibus: quam rem etiam ità interpretatur. Quod principium Amoris poma mittat, ſagittæ verò amorem perficiant. Alciatus autem ſophos, ac heros literarum perilluſtris ac percelebris ad Hieroglyphicon Luconis & Bellienæ conjugum alludens in ſuis emblematis profectò ſic in fidem uxoriam cecinit,

Ecce puella, viro quæ dextra jungitur, ecce
Ut ſedet, ut catulus luſitat ante pedes.
Hæc fidei eſt ſpecies, Veneris quam ſi educat ardor,
Malorum in læva non malè ramus erit.
Poma etenim Veneris ſunt, ſic Schenœida vicit
Hippomanes, petiit ſic Galathea virum.

At quòd pomum in manibus adſit, alia fortè ratio ſubeſt. Nam ſcribit Plutarchus in libro, qui inſcribitur γαμικὰ παραγγέλματα, hoc eſt, *de præceptis connubialibus*, quod Solon inſtituit, antequàm ſponſa viri thalamum ingrederetur, ut prius malum Cydonium deguſtaret, ut primus ſermo, qui futurus eſſet inter ipſum virum & uxorem, eſſet ſuavis, jucundus, & placidus, & quadam comitate grata conditus. Meminit etiam de hac re Alexander ab Alexandro in *Genialibus* lib. ij. cap. v. Alciatus & ipſemet omni eruditione præditus in emblematis eleganter Solonis legem hoc carmine depinxit,

Poma novis tribui debere Cydonia nuptis
Dicitur antiquus conſtituiſſe Solon.
Grata ori & ſtomacho cùm ſint, ut & halitus illis
Sit ſuavis, blandus manet & ore lepos.

Meminit & Plutarchus in libro *problematum* problem. lxv. poma etiam ad amorem ſponſarum pertinere indicat Catulli elegans carmen ad Ortalum ſic,

Ut

Vt miſſum ſponſi furtivo munere malum,
Procurrit caſto virginis è gremio.
Quod miſeræ oblitæ molli ſub veſte locatum,
Dum adventu matris proſilit, excutitur.
Atque illud prono præceps agitur decurſu:
Hinc manat triſti conſcius ore rubor.

Poma autem Veneri antiquitus dedicari ſolita, quòd fortè in judicio à Paride habito, cæteris deabus pulchritudine fuiſſet prælata, & ob id pomo donata, oſtentant veterum numiſmata: ex quibus veri amoris fructus elicitur hieroglyphicum, & prolificæ fœcunditatis argumentum: in Juliæ enim Piæ Auguſtæ nummo, dea ipſa Venus cum pomo ſeſe oſtentat: cujus inſcriptio eſt, VENVS FELIX. in alio ab una facie, FAVSTINA AVG. ANTONINI AVG. FIL. ab altera ſignum molliter ſtat læva conto innixum dextera pomum exporrigens cum inſcriptione VENVS. S. C. in nummo argenteo Agrippinæ Auguſtæ Claudii imperatoris uxoris, Neroniſque matris extat imago Veneris pomum in dextera, in ſiniſtra haſtam tenentis: inſcriptio eſt, VENVS COELESTIS. Sed jam inſcriptionem ſequamur. Quòd autem ſit in tumulo M. *Caſſio Broccho*: an hic Brocchus ex Armenio Broccho, qui proconſul cum Ovidio Nigrino fuerit ſub Domitiano Imperatore, originem trahat & genus: & de quo Plinius Novocomenſis lib. x. epiſtolarum meminerit Trajano ſcribens, mihi certè compertum non eſt. Sed jam videamus quid ſibi velint illæ compendiariæ notæ in hoc elegantiſſimo tumulo, OVF. Illud itaque ſciendum eſt, inter Romanas tribus, quæ quinque & xxx. numero fuerunt, ut refert Aſconius Pædianus in ij. Verrina, & repetit Alexander ab Alexandro lib. j. cap. xvij. *Genialium dierum*, fuiſſe & Ouſentinam ab Ouſente fluvio dictam, quæ Lucio Flacco & Lucio Plautio Coſſ. reliquis tribubus addita fuerit unà cum Phalerina: quod & Livius lib. ix. decadis. j. narrat. Verba autem Pædiani hic adſcripſi: *Tribus urbanæ ruſticæque omnes xxxv. numerantur, ex quibus aliquam neceſſe eſt, cujuſcunque ordinis fuerit, civis Romanus obtineat: moris autem fuit cùm aliquis civis Romanus oſtendendus eſſet, ſignificaretur aut prænomine ſuo, aut agnomine, aut cognomine, aut à cognatione, aut à tribu,*

in

in qua cenſeretur, aut à curia, aut à cenſura: aut ſi erat ſenator, aut eques Romanus, à curia ſua. Alibi autem idem auctor de his xxxv. tribubus ſic meminit: *Per hos totus populus Romanus tres fuerunt principio, Tatienſis una à Tatio rege: Rhamnes altera à Romulo, Luceres altera à Lucomone, ſive Lucretino, ſive à Luco, quem Aſylum vocaverat Romulus: poſt de nominibus Sabinarum plures factæ, quibus precatricibus parentum bellum maritorumque finitum eſt: ad poſtremum* xxx. & v. *factæ: obtinuerunt autem nomen, aut à tributo dando, aut quia primò tres fuerunt, unde etiam tribuni dicti:* hæc Asconius Pædianus. Qui autem ad jus Romanæ civitatis admittebantur plerunque peregrini homines Romanum nomen aſſumebant, vel ejus, in cujus clientelam ſe tradidiſſent, & cujus opera civitate donati eſſent, quemadmodum hi qui jus applicationis habebant: horum autem plerique in Ouſentina tribu nomen dabant, quæ (ut ait Feſtus) aliis diverſarum civitatum viris fuit communicata: hincque eſt, quod in antiquis monumentis urbium Tranſpadanæ Galliæ ubique hæc nota legitur, OVF. quæ Ouſentinam tribum ſignificat. Sic in tumulo Lucii Gellii Vari eſt hujuſmodi inſcriptio Mediolani apud Galeacium vicecomitem: L. GELLIVS OVF. VARVS VETER. LEG. XIII. GEMINAE. Sic Comi eſt illa cum pleriſque aliis: M. VALERIVS M. F. OVF. SECVNDVS SIBI ET SVIS V. F. ſic C. PETRONII CRESCENTIS IIIIVIR. ſic C. VIRII VERI VIVIR. ſic T. TADII CATIANI VIVIR. ſic P. HORATII FLORI IIIIVIR. ſic P. ATILII SEPTITIANI GRAMMATICI LATINI. Cui ordo Comenſis ornamenta decurionatus decrevit: quia univerſam ſubſtantiam ſuam ad Rempublicam pertinere voluit: ſic L. ALFI MARCELLINI VIVIR. AVG. ſic P. IVLII MAXIMI VIVIR. ſic M. MESTRVI SECVNDI VIVIR. ſic L. LVTEVII CALVISII. ſic & alibi in multis aliis ſpectationibus inſcriptio extat OVF. vel VOF. ut Bergomi in tumulo C. Cornelii Miniciani, ſed & hîc illud, quod Alciatus animadvertit lib. παρέργων ix. cap. xvj. operæ pretium erit addere, quòd ſcilicet ante cognomen ipſa tribus deſcribebatur: quod in his à me ſuprà citatis tumulis ſatis liquet, ut & ex illis ab eodem Alciato locis ex Cicerone citatis: ſed de tribu Ouſentina hæc ſatis. Quid autem ſibi velint illæ notæ, IN FRON. P. XX. IN AGR. P. XX. videamus: & ratio ex illis duobus Horatii ſermonum lib. j. Satyra viij. verſibus petenda eſt,

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, hæredes monumentum ne ſequerentur.

Acron & Porphyrion hîc neſcio quid afferunt, ut locum Horatii exponant, mihi tamen neutrius arridet expoſitio: hoc igitur loco eam exponere minimè mihi libuit: crediderim tamen, hoc fuiſſe ſpacium agri deſignatum, in quo liceret ibi ſepulchrum condere, ac corpus hominis mortui ſepelire: nec ulterius: ideò titulus hic erat ſcriptus in fronte pedes xx. in agrum pedes xx. hoc eſt in fronte ad viam verſum, in agrum introrſum. Nam longitudo ad frontem ſpectat, latitudo ad agrum, ſiquidem omni in re majori diſtantiæ longitudo attribuitur, ut auctor eſt Ptolemæus lib. j. *Geographiæ* cap. vj. Acron tamen contra exponit: erant etiam illæ notæ in veterum monumentis, quæ hodie etiam viſuntur in pleriſque publicis ſpectationibus, H. M. H. N. S. hoc eſt. *Hoc monumentum hæres non ſequitur*, ut inquit Horatius, exponit Porphyrion, quod ſolent privatis inſcribi nonumentis, quod pedes in fronte, quot in agris habeant, item ſingulis literis notari, H. M. H. N. S. videlicet ne pro ſuis habeant infcrendi rcliquas aliorum multorum. Hæc expoſitio videtur potius veriſimilis, quàm quòd ſit vera: obſcurè enim ambo interpretes hi loquuntur: nec (ut exiſtimo) rem ſatis perſpectam habuerunt: & ſi Acronis ſat aperta videatur ſententia. Illud tamen amplius dicendum, morem fuiſſe militum Romanorum aliquot pedum portiunculam in agro mercari pro ſe & ſuis contubernalibus. Quæ emptio bifariam fiebat, aut enim pro ſe & ſuis hæredibus, aut pro ſe & ſuis contubernalibus: idque ut vel hæredes jus condendi ſuas urnas, cippoſque ſtatuendi iſthic haberent: aut non, ubi minoris emeret quiſpiam pro ſeipſo & conjuge ſolum: & tum ſupraſcriptis literis ſaxum notabatur: hoc eſt, H. M. H. N. S. *hæres monumentum hoc non ſequitur:* fuere enim cippi quaſi columellæ quædam, quæ ſecus publicas vias in terminis agrorum erant poſitæ, in quibus militarium hominum inſcriptiones ac tumbæ erant: hæ columellæ, ſeu menſæ fuerint, ſeu labellum, erigi ſuper tumulum terræ ſolebant, quæ trium cubitorum menſuram non excedebant: quod Demetrii juſſu factum legimus. Sed clarius hunc locum ità explicari poſſe apud quoſdam doctiſſimos viros animadvertimus. Quod ità portiones terrarum in agrum emebantur, primò quòd

quòd licebat ſecundum ſcriptum numerum ſepeliri cognationi, dinde ubi aliquis non habebat liberos, vel cognatos, ſemper exprimebatur, quòd ſequeretur monumentum hæredem, tanquam non liceret quemque hæredem ſuos tumulis collocare: qui quidem mos ab illa lege veteri, quæ *quinque pedum præſcriptio* nominatur à Jureconſultis (ut ego opinor) emanavit: & à lege XII. tabularum originem traxit: multa autem his notis monumenta antiqua inſcripta paſſim reperiuntur. Hic certè in patria mea Placentia duo ſpectantur, alterum ſuperioribus annis, dum caſtrum fundatur, erutum: alterum ante divi Sabini templum in marmorea menſa, quæ periſtylio affixa, porticum ingredientium oculis ſubjicitur. Hæc igitur poſtquàm locus hic poſtulat, ſubjiciam, ut patriæ hoc præſtemus, & à ſitu antiquitatem vendicemus. Nam ut belle & verè cecinit Auſonius,

Mors etiam ſaxis nominibuſque venit.

PAVL. GAVILLIA C. F. MATER L. VARIENI ET L. MESSI M. F. BVCCAE IN FR. P. XIIII. IN AGR. P. XIIII.

Quod autem eſt ante templum Divi Sabini monumentum hoc eſt:

Q. CAMVRIO C. HOSTILIO. L. PRIMO SPECILVNCVL. IN FR. XII. IN AGR. P. XVI.

H. M. H. N. S.

Et hæc quidem monumenta vetera ſunt, quæ ſuperioribus annis deſcribi curavimus cum reliquis Placentinis, quæ reperiri potuerunt: quòd ſi plura nobis contigerit videre ad patriæ honorem quandoque explicata in vulgum emittemus. Hæc lector interim pauca boni conſulat, noſque amet: hoc loco ne illud indictum ſinam, quod eſt in tumulo, admonet me familia, videlicet illa, quæ hodie Mandella Mediolani & hic Placentiæ fulget, quæ antiquitatem ſuam ex hac inſcriptione oſtentare poterit. Eſt enim in elogio hoc Atilia Manduilla uxor M. Caſſii Cacurii, viri honorati, qui nempe civis Romanus factus fuerit ex peregrino, receptuſque ac admiſſus in Ouſentinam tribum. Sed & Mandela eſt pagus in Sabinis apud Horatium in epiſtolis xix. epiſtola, qui rugoſa propter nimium algorem reddit corpora. An autem Mandela familia, quæ hodie eſt in Italia celebris, Mediolani præcipuè ex eo loco originem traxerit, mihi nondum perſpectum eſt: crediderim tamen antiquiſſimam familiam eſſe hanc: quæque originem & genus à pago iſto

Digitized by Google

Mandela traxerit, poſtea dicta Manduilla. Nam non ſolùm regionibus ſed & temporibus mutantur nomina, variaturque pronunciatio. Sic quæ prius dicta *Mandela* deinde *Manduilla*, rurſum *Mandela* cœpit eſſe. Sic Polybio *Averoeſtes* dictus, qui Cæſari in commentariis dictus eſt *Arioviſtus*: hodie verò *Hemeſtus* dicitur. Sic nos hodie *Albriſium* pro *Alberico*, *Fedrixium* vel *Fridericum* pro *Federico* multi pronuntiant. Sic & *Ludoviſium* & per Syncopen *Loyſium* pro *Ludovico*, ſeu ut antiqui *Clodoveum* vocaverunt, dicimus. Regio enim (ut ſuprà dixi) & tempus nomina variant. Nimirum ſic & *Mandela* prius dein *Manduilla* vocitata eſt, ideò rectius fortaſſis apud nos eſt *Mandela* ſervato veteri nomine, quàm *Manduilla*: veteres enim Celtæ pars Galliæ gentis (nam Mediolanum Galliæ Ciſalpinæ eſt regio) non tam craſſa lingua pronuntiabant ut Germani, ideò quòd illis *Mandela* fuit, his *Manduil* (ſonat enim Germanicam vocem *Manduil.*) Crediderim enim poſt multos annos à Romano imperio inclinato, cùm Germani Italiæ oras tenerent, tale poſtea ſortitam eſſe nomen hanc familiam, & dictam *Manduillam*, ſed cùm tunc aliqui originem illam antiquitatis proximam retinerent, *Mandelam* vocitaſſe, & poſteriores Latini idem nomen retinuiſſe, licet parum diſtent *Manduilla* & *Mandela* paucis immutatìs literis. Ex hac familia fulſit olim Tatius Mandellus, qui tempeſtate Federici primi Aenobarbi floruit, Imperator ſtrenuus ac illuſtris in bello, quique in ea eruptione Mediolanenſium fuit, quæ contra Henricum ducem Auſtriæ Friderici Aenobarbi, Auguſti patruum, acta fuit: in qua eruptione poſt maximè ſpectatam in bello virtutem, in pugnaque viriliter dimicatum occubuit Tatius, quem, ut Raudericus Phriſingenſis Diaconus, qui Otthoni epiſcopo Phriſingenſi hiſtoriam ſubſcripſit de geſtis Friderici Aenobarbi primi Imperatoris l. iij. c. xxxvj, refert. *Mediolanenſes regulum ſuper ſe creare cogitaverant: aſt audita morte ejus tota civitàs luctum aſſumpſit, corpuſque mortui cum vivis, quos de noſtris habebant, & copioſa pecunia commutantes redemerunt, & regalibus exequiis honorando ſepelierunt* Hactenus Raudevicus, qui tempeſtate Friderici Imperatoris primi Aenobarbi hiſtoriam ſcripſit, ſequens Otthonis epiſcopi Phriſingenſis hiſtoriam, qui ejuſdem Friderici Imperatoris fuit patruus.

VER-

Digitized by Google

VERBORVM & RERVM
I N D E X.

A.

M. Val. Acilii triumviri Virtus, 148. Adgredior ſcribendum, non aggredior, 59.
Adlocutio Caligulæ, Neronis & Galbæ, 58.
Adlocutio animos militum inflammat, 58. ejus exempla in Virgilio, ibid. in aliis autoribus, 59.
Adlocutio militum in nummis quomodo efficta, 59. ſcribendum per D non per L, ibid. templum Adlocutioni erectum ab Romanis, 60.
Adlocutio quo modo ſolebat fieri, docetur ex Plutarcho, 60.
Adorationis ſignum paſſas habere manus, 10.
Adque ſcribendum, non atque, 59.
Adriani Antinous in nummo, 98. Spes, 121. beneficia variis modis populo R. præſtita, 122.
Ædilium Curulium munus fuit edere ſpectacula, 51.
Æquitas in Gordianorum nummis, 137. pro Dea culta ab Romanis, 141.
Æquitas publica in nummis quomodo efficta, 141.
Æquitas privata in nummis, 141.
Æs triplex in Odis Horatii quid notet, 49.
Æſculapius ab Epidauriis cultus ſpecie anguis, 15. qua ratione antiquis Pæan dictus, 19.
Ageſilai regis facetum de apotheoſi dictum, 106.
Alba Longa condita ab Aſcanio, & inhabitata, 7. 115.
Albogalerus flaminum Dialium geſtamen, quale ſit, & unde dictum, 26.
Amoris ſymbolum pomum, 157. 158.
Amores quot, 159.
Anconitani portus à Trajano reſtituti deſcriptio, 94.
Anguis ab Epidauriis pro Æſculapio cultus, 15.
Anguibus cum elephantibus maxima ineſt pugna, 25.
Angues ſymbolum ſalutis, delectantur vino, 15.
Annona in Titi nummo, 125. in Macrini nummo, 154.
Anthiæ piſcis quædam ſingularia, 145. 146.
Antinous Adriani in nummo, 98. qualis & unde, ibid. vocatus ab Adriano novus Apollo, & Heros: oraculumque ipſi ab eodem conſtitutum; conſecratus & pro Deo poſt mortem habitus: 98.
Antinois oppidum Ægypti, 98.
Antiochi Soteris ſalus, 14.
Antonini Pii Conſecratio in nummo, 103. 127.
Apollo Pithius unde Dictus, 101.
Aquila cur fulminis armigera ficta, 78. in quibuſdam nummis ſub pedibus habet fulmen, ibid.
Aquila ad quod in conſecratione adhibita, 106.
Arcades dicti Antelunares, 54.
Argentum quando Romanis ſignatum, 117. ejus pretium non ſemper fuit idem, ibid.

Digitized by Google

Aries *levitatis & ſtultitiæ ſymbolum*, 67.
Ariſtoteles *Deum unum unicam mortalibus ſalutis cauſam agnovit & ſcripſit*, 16.
Athalarici *affinitas cum Juſtiniano*, 151.
Auguſtus *Cæſar quomodo avunculi ſui majoris apotheoſin adornarit*, 54.
Auguſti, *Imperatores, & Cæſares quomodo differant*, 40.
Axur *Jupiter in Nummis*, 89.

B.

Bacchus *& Phœbus individui fratres*, 91. Bacchus *tria ad ſervandam juventutem confert*, 91.
Boni eventus *ſimulacrum*, 35.
Bonifacii *Martyris & Pontificis elegans de uſu aureorum ligneorumque calicum in ſacris, reſponſio*, 29.

C.

Cabaliſtarum *de ligno anei ſerpentis in deſerto erecto, opinio*, 16. *de numero binario, & uno*, 19.
Cæſar *Punica lingua eſt* Elephas: 29.
Cæſares, Imperatores, *& Auguſti quomodo differant, ex Alciato*, 40.
Caligula *vocatus* Germanicus, 40. *Septembrem menſem vocavit* Germanicum, 41.
Caligulæ *congiarium*, 80.
Caligulæ *Adlocutio*, 58.
Canis *Hecatæ immolatus*, 131. *rei familiaris curæ typus*, ibid. *quale hieroglyphicum apud Ægyptios*, ibid. *cum Heroibus una in concionem veniebat*, ibid.
Capricornus *Auguſti*, 37. *ſub eo fuit natus Auguſtus*, ibid. *particularia quædam de illo ſidere*, 37. 38.
Caroli 5. *Imperatoris elogium*, 92. *Mauſoleum Placentiæ & Mediolani*, 106. 107.
Carrucarium *vectigal*, 88.
Caſſiæ *familiæ celebritas*, 156.
Caſſii *Cacurii tumulus*, 156.
Caſtor *& Pollux quomodo in nummis effigiati*, 111. *cur pileati*, 117. *eorum apparitionum exempla*, 118. 119. *cur ſtellæ ipſis tribuantur*, 119. *dict.* Ἑτερήμεροι *ab Homero cur*, 119. *ubi eorum templa Romæ fuerint*, 120.
Celtæ *veteres minus craſſâ linguâ loquebantur quàm Germani*, 164.
Cenotaphium *honorarius tumulus Suetonio*, 64.
Cerealia, 75.
Cervæ, *cornibus carent*, 132. *in Africa non reperiuntur*, ibid.
X *nota denarii*, 116.
Charites *quomodo depictæ*, 157.
Chriſtophorus *quare inter Divos relatus*, 11.
Chus *quanta menſura*, 83. 84. *unde dictum*, ibid.
Ciceronis *filia nupta fuit*, *M. Piſoni Frugi*, 55.
Ciconia *pietatis ſeu gratiarum actionis in parentes typus*, 10. *ut & Juſtitiæ typus*, 11.
T. Claudii *Auguſti libertas*, 56.
Claudii *congiarium*, 80.
P. Clodius *ſtruxit Libertatis templum ex domo Ciceronis*, 56.
Columnæ *Trajanæ enarratio*, 93. *quæ effoſſa fuit à Paulo 3. Pontif. Max.* ibid.
Commodi *Venatio*, 135. *Hiſtoria ejus quoad Venationis ſtudium*, 136. *Roma*, 149.
Commodus *appellatus Hercules Romanus*, 136. *ut & Alexander Magnus*, ibid.
Concordia *in nummo Auguſti*, 66. *quomodo ab Ægyptiis expreſſa*, ibid. *quomodo in marmore quod eſt Mediolani*, 67. *quomodo in nummo Vitelli & aliorum*, 68. *ſub ſpecie cornicis expreſſa*, ibid. *ejus ædes à quibus & ubi condita*, 68. *ejus variæ effigies*, 69.
Congiarium *Neronis & Titi Veſpaſiani*, 79. *quomodo differat à Donativo*, 81. *quale munus propriè ſit*, ibid. 82. *unde dictum*, 82.

Con-

Digitized by Google

Conguis *quanta menſura*, 82. *menſura liquidi*, ibid.
Conſecratio D. *Antonini Pii in nummo*, 103.127.
Conſecratio *quibus collata à veteribus*, ibid.
Conſecratio *quomodo efficta in nummo Sabina*, 235.
Conſecrationes *variis modis exhibita in nummis aliis*, ibid.
Conſecrationes *plurium Romanorum Caſarum* ibid. *qua non niſi Senatuſconſulto poterant fieri*, 106.
Conſtantinus *Magnus ab Ethnicis conſecratus, ab Chriſtianis inter Sanctos relatus*, 106.
Conſtantius *Caſ. jaculandi peritiſſimus*, 131.
Conſualia, *ludi*, 116.
Conſul *Romanus cur faſces & ſecures illigatas geſtârit*, 36.
Conſus *Deus*, 116.
Cornix *Concordia typus*, 68.
Coturnicis *os Securitas apud Ægyptios typus*, 145.

D.

Decebalus *Dacorum rex ab Trajano victus*, 96.
Decurſio *Neronis*, 108. *qua fuit in pompa funebri celebrata*, 109.
Delphinus *cur tribuatur Honori*, 62.
Denarius *qualis nummus*, 116. *cum drachma Attica convenit*, ibid.
Diana *in nummo* C. *Poſtumi*, 128.
Divi *vocabantur Romanorum conſecrati Caſares*, 103.
Domitiani *Jupiter Cuſtos*, 78. *congiarium*, 80.
Donarium, *quid*, 81.
Donativum, *quid*, 81.
Drachma *Attica cum Denario convenit*, 116.
Duella *jure divino & humano prohibita*, 63.
Duo *ſecundum Cabaliſtas primus eſt numerus*, 19.

E.

Elephas *conſecrationis ſymbolum*, 24. *aſperſus aqua, ſolis ortum motibus quibuſdam ſalutat*, ibid. *Punica lingua notat* Cæſarem 29.
Elephantibus *cum anguibus pugna eſt maxima*, 25.
Ἐλευθερία *Gracis Libertatis Dea*, 57.
Eleutheria *feſtum ubi celebratum*, 57. *Jupiter dictus* Σωτὴρ, 57.
Ἐφεστρὶς *pro paludamento apud Plutarchum*, 62.

F.

Fauſtina D. *Antonini uxor conſecrata*, 104.
Felicitas publica *in nummo Jul. Mammea*, 147. *ejus templum Roma*, 148.
Fides *quo typo expreſſa in nummis*, 65.
Flamines *quaſi* filamines *dicti à filo*; 26. *geſtamen eorum albogalerus*, 26. *nudo capite incedere, eis fas non erat*, ibid.
Flaminicarum *capitis inſigne tutulus*, 26.
Fluminum *imaginibus veteres plerumque addebant urnam*, 91.
Fornix *Fabianus, ad quem Roma dicebatur jus*, 33.
Fortitudines *ſigillum in Nerva numiſmate*, 155. & C. *Poblicii*, ibid.
Frugi *cognomen Piſonum proprium*, 54. 55.
Fulmina *cur & quot tributa Jovi*, 78. *cur aquila adjuncta*, ibid.
Fulmen *fruticem lauri non icit*, 78.

G.

Galbæ *adlocutio*, 58.
Genius *Neronis in nummis quomodo*, 75. *ſerpentis imagine effingi ſolitus*, ibid. *coronabatur platani foliis*, ibid. *ſacra ei fiebant mero*, ibid. Genius *aviternus in marmoribus*, 77.
Genio *principis ſacrificatum propter victoriam*, 76.
Genius *in diebus natalibus apud veteres cultus*,

tus, 77. *ſerpentis imagine expreſſus*, 148.
Germanici, *Cæſaris numiſma*, 39.
Germanicus *Cai Cæſaris pater*, *Druſi filius &c.* 39. *Hiſtoria ejus luculenta ex Suetonio & Tacito*, ibid. 41. 42. *ipſius & in ipſum epigrammata Græca*, 43.
Germanicus *nunquam fuit dictus Auguſtus*, 40. *valde dilectus ab Auguſto*, ibid. *cum Alexandro Magno comparatus*, 42.
Gordiani *Junioris hiſtoria*, 139. 140. *Securitas*, 143.
Gordiani *Senioris hiſtoria Geneologica*, 137. *& reliqua quæ ad ipſum pertinent*, 138. 139.
Gordiani *Virtus*, 126.
Gordianorum *Virtus & Æquitas*, 137.
Græci *Romanorum menſura uſi*, 84.
Gyraldi *carmen in obitum Alſonſi Mayanthi*, 123.

H.

Hecatæ *canis immolatis*, 130.
Hercules *dictus* Salvator *apud Thaſios*, 16. *ſtatua ejus ænea Romæ qualis*, 126.
Hippopotamus *quale animal*, 11.
Honos *quomodo efficta in Vitelli numiſmate*, 61. *in eodem numiſmate conjunctus cum Virtute*, ibid. *quomodo definitus ab Ariſtotele*, 63. *vitæ præpoſitus ab Papiniano*, 64. *Honoris lucus Romæ extra portam Capenam*, 65.
Hypſæus *in nummo probatur fuiſſe conſul, &c. quæ ad Hypſæum pertinent*, 52.

I.

Ianus *Latinorum priſcorum mores excoluit*, 1. *in Italiam veniens ab Saturno hoſpitio exceptus*, ibid. *ex Virgilii ſententia Romam condidit*, 2. *claudendis aperiendiſque portis à Virgilio præpoſitus*, 3. *templum ejus fuit in medio foro*, ibid. *cum Bifrons effictus*, ibid. *Græcus Perrhæbus, ex ſententia Plutarchi*, 4. *ejus templum ſertis coronatum in nummo Neronis*, 69.
Janus *dictus* geminis, 3. *Noë ex Japhete nepos*, 6. *ab* יין *quod Hebræis vinum notat*, ibid.
Janus *& Noë iidem exiſtimati ab Beroſo*, 6. *Navium, coronarum, & pontium primus inventor*, ibid. *ad ejus templum Romæ ſtabant fœneratores*, 33.
Jeſus Chriſtus *unica credentium animarum ſalus*, 16.
Imperatores, *Auguſti, & Cæſares quomodo differant, ex Alciato*, 40.
Infinitum *Pythagoricum Deus eſt; & in quo porro illud conſiſtat*, 20.
Joannes Cavinius *aurifex nobiliſſimus, & ſummus Antiquarius*, 22.
Judicium Putei *apud Romanos quale*, 33.
Judicialis *puteus in urbe Athenarum*, 33.
Judicium *ſortitio apud Romanos*, 34.
Julia *Gens ab Julo Æneæ filio manarit*, 7.
Julii Cæſaris *Conſecratio*, 24. *ejus congiaria data*, 79.
Jupiter *Cuſtos in Neronis & Domitiani nummis*, 78. *Axur in nummo C. Vibii*, 89. *Axur Jupiter ubi cultus*, ibid. *Jovis imberbis ſtatua in Olympia*, 90.
Jovi *cur aſſignata fulmina*, 78. *& quot*, ibid.
Juſtiniani *Cæſaris Pax*, 151.
Juventas *perpetua Baccho & Phœbo propria*, 89.

L.

Lacones *pugnare ſoliti pileati*, 117.
Lares *Platano coronari ſolita*, 75. *ut & floribus*, ibid.
Latini *efferum quondam genus ab Jano exculti*, 1.
Latini *quibus conditionibus Romanem civitatem adepti*, 125.
Laurus *Apollini cur tributa*, 100. *de ejus divinandi vaticinandique inſita vi*, ibid.
Laurus *comeſa ad* ἐνθουσιαζειν *valere dicta*, 100.

Loo

Leo *cuſtodia typus*, 67. *pro foribus templorum poni ſolitus*, ibid. *ſimiam comedens*, *quodnam Ægyptiis hieroglyphicum*, 150.
Lepidus *in ſignificatione idem quod* Æmilius, 45.
Libertas *Dea*, *ubi Romæ ejus fuerit templum*, *& à quibus conditum*, 56. *Libertatis indicium fuit pileum*, 57. *quomodo in nummo Nervæ efficta*, ibid.
Libonis *Prætoris puteal ſitum ubi fuerit*, 33
Lilium *Junoni dicatum*, 122.
Lituus *Augurum ſceptrum*, 29.
Lugduni *omne monetæ genus ab Imperatoribus Romanis ſignari ſolitum*; 49. *cauſa ejus*, 50.
Lunæ *ſimulachrum quomodo veteribus effictum*, 54.
Luſtratio *per aquam veteribus Gentilibus & Chriſtianis Catholicis uſitata*, 27. 28.
Lyſimachus *Cornutus*, 22. *quare ita in nummis conſpiciatur*, 23.

M.

Macrini *Caſ. Annona*, 154. *compendiaria ejus hiſtoria*, ibid.
Malleus *quarum rerum ſymbolum poſſit eſſe*, 35. 36.
Jul. Mammeæ *Felicitas publica*, 147.
Mandela & Manduilla *promiſcue dicta quadam in Italia familia*, *ut & pagus*, 163. 164.
Mantinenſes *feſtum annuum in honorem Antinoi celebrant*, 98.
Manus paſſa *adorationis ſignum apud veteres*, 10. *Protenſa autem victoriæ*, *ut & petitionis pacis indicium*, ibid.
Μήλοις βάλλειν *proverb.* 157.
Mel *vino gravius tertia parte*, 84.
Monetæ *officina Romæ ubi fuerit*, 49.

N.

Naturæ *imago*, 150.
Νεωκόρος *quis & unde dictus*, 99.
Neronis *Adlocutio*, 58. *Portus Oſtienſis*, 69. *Hiſtoria*, *quoad ea quæ circa ludos gymnicos & alia*, 71. 72. 73. *cur aurigæ habitu in nummis*, 74. *genius ejus in nummis*, 75. *ejus Jupiter Cuſtos*, 78. *Decurſio*, 108. *congiarium*, 79.
Nervæ *Vehiculatio Italiæ remiſſa*, 88. *Sigillum fortitudinis*, 155.
Nobilitatis *ſignum quale apud Aegyptios*, 115.
Noë & *Janus iidem exiſtimati à Beroſo*, 6.
Nomina *à veteribus liberis ſuis indita ab accidentibus*, *vel naſcendi ordine*, 130.
Numa *in ſacris uſus eſt vaſculis fictilibus*, 29.
Numiſmata *explicare qui vult*, *magnam oportet habeat rerum cognitionem*, 53.
Nuptiæ *Pythagoricis per quinarium numerum expreſſæ*, 22.

O.

OB HONOREM *ſæpe in marmorum Inſcriptionumque initio præponi ſolet*, 64.
Ouſentina familia *Romæ*, *unde nominata*, 160.

P.

Pæan *dictus antiquis Æſculapius*, *& qua ratione*, 19.
Pallas *cur armata à Græcis efficta*, 61.
Paludamentum *quid*, 62. *idem quod* ἐφεστρὶς *&* φοινικὶς *apud Plutarchum*, ibid.
Cn. Panſæ *Jupiter Axur*, 89.
Parilia *feſtum*, 115.
Parthi *a Trajano devicti*, 26.
Paſſam manum habere *adorationis ſignum apud veteres*, 10.
Pauli *Lepidi Concordia*, 44.
Paullus *cum duplici ll. in nummis marmoribuſque antiquis ſcriptum invenitur*, 44.
Paulus 3. *Pontif. Max. columnam Trajanam effodi juſſit*, 93.
Pax *in Juſtiniani nummo*, 151.

Pax *quomodo in Veſpaſiani aliiſque nummis*, 85. 86. 87. *templum ejus Romæ ubi*, 85. Pax *lauro & roſâ coronata*, 87.
Penates *quales Dii; unde dicti; eorum nomina & numerus neſcitur ſecundum Varronem; quâ forma & figura fuerint; vocati* Dii Patrii: *eorum evocationes ſolebant fieri ab hoſtibus*, 12. *dicti* ſocii *à Virgilio; qui Authores de iis ſcripſerint*, 13.
Petrarcha *defenſus*, 132.
Philippus *Imperator qualia ſpectacula exhibuerit*, 51.
Phœbus & *Bacchus individui fratres*, 91.
Φοινικὶς *pro paludamento apud Plutarchum*, 62.
Pica *lauri folium ore tenens, quodnam Ægyptiis Hieroglyphicum*, 150.
Picus (*Joannes Mirandulanus*) *optimum bonarum artium, Virtutumque omnium exemplum*, 42.
Pietas *filii in parentem epigrammate Græco expreſſa*, 8. *imago ejus varie in variis nummis quomodo occurrat*, 10. *quomodo in ſceptro regio antiquitus exſculpta*, 11.
Pileum *inſigne libertatis*, 57.
M. Piſo *frugi*, 53.
Cn. Planci *nummus*, 135.
Plato & *Socrates tria dixerunt rerum principia*, 21.
C. Plotius *Triumvir*, 48.
C. Publicii *fortitudinis ſigillum*, 155.
Ποικίλη *Athenarum porticus à quo picta*, 57.
Polignotus *Thaſius pinxit Athenarum porticum* ποικίλην, 57.
Pomum *amoris ſymbolum*, 157. 158.
Poma *Veneri dicata*, 160.
Porticus *tres Athenis celeberrimæ*, 57.
Portus *Oſtienſis Neronis*, 69.
Poſtæ *vocabulum barbarum unde dictum*, 108.
Poſtumæ *filiæ Conſtantii hiſtoria*, 129.
nomen ejus ſine flatili litera ſcribendum, 130.
C. Poſtumi *Diana*, 128.
Pozzeti (*Ottoboni*) *elogium*, 118.
Principia *rerum quot & qualia ab antiquis Philoſophis, Platone, Socrate, & Ariſtotele, ſint ſtatuta*, 21.
Privernatium *Legati alicujus ferox reſponſio*, 53.
Pupienus *Cæſar dictus* Maximus, 32, *ejus Hiſtoria*, ibid.
Puteal *dictum tribunal & Prætoris, & quare*, 33. 34.
Puteus (*Æmilius*) *optimus Placentinæ urbis adoleſcens*, 43.
Puteorum *familiæ in urbe Placentia celebris origo*, 34.
Pytagoræ *ſymbolum* Gallum Æſculapio *nutrire*, 18. *ſymboli hujus interpretatio*, ibid. & 19. Pythagoræ *ſententia de uno, duobus, & infinito*, 20.
Pythagoras *quomodo invenerit conſonantiam*, 36.
Pythia *Ludi Apollinares*, 101.

Q.

Querceus (*Hieronymus*) *optimum omnium virtutum exemplum*, 42.
Quodannis *ſcribendum; non* quotannis, 59.

R.

Rhodienſium *nummus in adventum Neronis*, 74.
Roma *in L. Aurel. Commodi nummo*, 149.
Roma *quomodo in nummo Caſtoris*, 113. *cur armata efficta*, ibid.
Roma *cur ita vocata & unde*, 113. 114 *variorum ſcriptorum diverſa ſententia circa conditores primos Romæ*, 114.
Romæ *antiquæ termini*, 115.
Romana civitas *qua conditione peregrino conceſſa*, 161.
Romani *ex Athenienſium legibus multa ſuſtule-*

Digitized by Google

ſtulerunt, 34. eorum Nobilitas à quibus populis acceperint Lunæ imaginem, 54. in militiam adſcripti, quomodo ſacramento adigebantur, 65. 66. cur à parentibus ſuis nomina acceperint, 130.
Romanorum conſuetudo in conſtruenda ſibimet ipſis perpetua memoria, 157. militum conſuetudo in emendo loco ſepulturæ, 162.
Roſæ Junoniæ, 122.

S.

Sabellus (Manavus) optimum omnium Virtutum exemplum, 42.
Salvare, Salvari & Salus idem quod permanere & eſſe, 17.
Salus pro Deâ ab Romanis habita quomodo fuerit picta, 15. ejus templum ubi ab Nerone ſtructum, 75.
Saturnus Latinorum primus legiſlator, 1. ex Virgilii ſententia Romam condidit, 2.
S. C. literæ rarò in nummis argenteis occurrunt, 52.
M. Scaurus Ædilis Curulis, 50. Autorum teſtimonia de M. Scauri ædilitate, 51. M. Scaurus accuſatus & defenſus, ibid.
Scribonis Liboniani puteal, 33.
Seceſpita quid & unde dicta, 27.
Securitas in nummo Gordiani Junioris, 143. in aliorum Cæſarum nummis, ibid. & 146. quomodo Græcis dicta, 145. quo Hieroglyphico ab Ægyptiis effigiata, ibid.
September menſis dictus Germanicus, quare, 41.
Serpens immortalitatis typus, 148. ut & ſapientiæ, ibid. ejus imagine Genius pictus, ibid.
Serpentes ex defunctorum hominum cadaveribus creduntur naſci, 25.
Servi libertate donati accipiebant raſo capite pileum, 57.
Sextarius unde dictus, 82.
Simpuvium, 28.
Soſtratus Gnidius turris Phariæ ſtructor, 70. cui nomen ſuum inſcripſit, 71.
Spectacula camelorum, leonum, & ſimilium animalium populo Romano exhibita, 50.
Spes in nummo Adriani, 121. in nummo Alexandri Pii, 122. cum viridi palla pingi ſolita, 123. cur lilio denotata, ibid. quomodo alit r aliis in nummis efficta, 124. ab Alciato carmine deſcripta, ibid. & à Tibullo, 125. ædes ejus ubi, quæ fulmine icta, 124. vigilantium hominum ſomnia dicta à Platone, 125.
Sfondratus (Baro) optimum omnium virtutum exemplum, 42.
Subres Jani ex Jubale nepos, 6.

T.

Tatius Sabinorum Rex, 55.
Taurus temperantiæ emblema, 67.
Temonarium tributum, 88.
Ternarius numerus perfectiſſimus, 19. 20.
Terracina urbs quæ olim Trachina, dicta fuit Anxur, 90. ubi ſita, ibid.
Teſtudo cur tribuatur Virtuti, 62.
Thaſii Herculem cognomento Salvatorem monetæ ſuæ inſcripſerunt, 16.
Titi Veſpaſiani congiarum, 79. Annona, 125.
Trajani Cæſ. Victoria, 92. Columnæ enarratio, 93.
Trajanus, à Nerva adoptatus, 95. qua ætate caperit imperare, ibid. ejuſdem principis elogium, ibid. & 96. Trajani res geſta, 96. Alexandro Magno parentat Trajanus, ibid. dictus Optimus, ibid.
Trajano ab Parthorum Armeniorumque Satrapis munera oblata, inter quæ equus inſigniter edoctus, 97. Trajani opera publica, 96. 97. mors, 97.
Trajanopolis prius dicta Selinus, 97.

Triangulus *qua ratione fiat, ſecundum Cabaliſtas*, 19.
Tripos *quare Apollini ſacer*, 99. *ſolebat eſſe coronatus*, ibid. *cujus forma*, ibid. *certantibus præmium dari ſolitus*, ibid.
Trivultius (Georgius) *optimum omnium virtutum exemplum*, 42.
Triumphalis *arcus in honorem Trajani ſtructus*, 96.
צבם *apud Hebræos pro ratione literarum ſuarum efficit centum & quinquaginta*, 16.
צב *apud Hebræos pro ratione literarum ſuarum efficit numerum* 150. 16.

V.

Vaccipra ta *dictæ diruta ædes Vitruvii Vacci*, 53.
Vaſculum *in tumulo effictum lætitiæ ſignum*, 31.
Vates *dicti* Δαφνοφάγοι, 100.
Vehiculatio Italiæ remiſſa *in nummo Imp. Nervæ*, 88.
Venationes *inter ſpectacula exhibitæ*, 133. *earum cura fuit penes Prætores & Ædiles*, ibid.
Venatio *in nummo Commodi*, 135.
Veſpaſiani *congiarium*, 80. *Pax*, 85.
C. Vibii *Jupiter Axur*, 89.
Victoria *Trajani de Germanis & Dacis quomodo in nummo efficta*, 92.
Vinum *oleo gravius nona parte*, 84.
Vinum *cujuſcunque ſacrificii potiſſima pars*, 15. *Hebræis dicitur* יין, 6.
Virtus *quomodo efficta in numiſmate Vitellii*, 61. *in eodem numiſmate conjuncta cum Honore*, ibid. *cur galeata*, ibid. *quomodo definita ab Ariſtotele*, 63.
Virtus *in nummo Gordiani, Galbæ, Vitellii, & Numeriani*, 126. *in epigrammate Græco ipſa loquitur*, ibid. *rurſus in numiſmate Gordiani*, 137. *M. Val. Acilii triumviri*, 148. *ejus templum*, 149.
Vitellii *Honos & Virtus*, 61. *Fides exercituum*, 65. *Concordia*, 68. Vitellius *Concordiæ nomen recepit*. ibid.
Vitulæ *cinis aſperſus, ex lege Moſis, mundabat populum*, 27.
Unum *ſecundum Cabaliſtas eſt numeri principium*, 19.
Vulturum *alas in veſtibulis domorum ponere apud Ægyptios ſignum nobilitatis*, 115.

Emendanda.

Pag. 5. Linea 26. ſignificat. p. 16. l. 12. Hercule. p. 17. l. 24. beatitudinem. p. 36. l. 2. LIBONIANI. p. 44. l. 12. Ticini. p. 60. l. 10. æquo. p. 97. l. 14. profecto. p. 99. l. 20. propemodum. p. 104. l. 6. anno. p. 111. l. 16. poſſim. p. 137. l. 24. ut in. p. 143. l. 11. ſolio.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google